peccatis tuis, quæ commisisti cogitatione, locutione, opere & omisſione: Et ego authoritate Domini nostri Iesu Christi, qua fungor in hac parte, te abſoluo ab omnibus sententiis excommunicationis minoris & maioris, ab homine uel à canone in te latis, & ab omnibus peccatis tuis, Deo & mihi confeſsis, contritis & oblitis, & restituo te in gremium sanctæ matris & participationi Sacramentorum ✠ In nomine patris & filij & spiritus sancti, Amen.

NOTA COMMVNIS

Post iniunctam pœnitentiam & abſolutionem dictam, abeunti dicatur ex Ioan: 5. & 8.

Vade in pace & noli amplius peccare, ne deterius quid contingat tibi.

Appen-

APPENDIX

DE VERA CHRISTI ECCLESIA & differentia inter bonos & malos sacerdotes, cum breuiſsima instructione, De opere operato in Miſſa, &c,

Verba Christi (utpote Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, Matt: 16.) Non sunt temerè dicta, sed firma sunt & perpetuò sic mansura. Impugnabitur quidem Ecclesia, uinci tamen non poterit. Tempestates & magna mala suſcipit, sed non demergitur. Tanquã mater pia & patiens, infinitis perſecutionibus & deuastationibus obruta, multa quidem tolerat, quæ tamen non approbat. Iacula in eam mittuntur

№ 839-1

[illegible]

[illegible]

1

DE CORRVPTISSIMIS SECVLI HVIVS MORIBVS, VARIISQVE ATQVE TVRBVLENTIS IN *religione Christiana doctrinis, Alberti Nouicampani oratio.*

[Nouiomagi?]

ITEM

De doctrina & moribus pseudoeuangelicorum Erasmi Roterod. Epistolæ duæ, ante annos quidem triginta scriptæ, sed nunc denuò in lucem reuocatæ.

Permultæ prauæ opiniones hîc refelluntur, quidq; pio cuiq; agendum sequendumq; hoc tempore sit, ostenditur.

II. AD TIMOTH. II.

Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.

COLONIAE

Apud Maternum Cholinum

M. D. LXI.

VOX VSVRPATA HVIVS SECVli Doctoribus.

ESAIAE 40.

Verbum Domini manet in æternum.
Vox Eccleſiæ propria.

PSALMO 118.

Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperaui in ſermonibus tuis.

ECCLESIASTES 12.

Verba ſapientum, ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt, à paſtore vno.

CHRYSOSTOMVS.

Malitia etſi ſæpius con fundatur, conuincitur tamen nunquam.

IN

IN ALBERTI NOVICAMPANI DE CORRVPTISSImis huius seculi moribus, orationem, Epigramma.

OPtimus in celso cõsidens pastor Olympo,
Vidit ouile tui, Pannonis ora, gregis
A malè nutritis inuadi dente catellis,
Vixq́; suo iam iam poße manere loco
Vidit, & indoluit, flammaq́; accensus, & igni.
(Ignis amoris ei flamma furoris erat)
Misit eò propria callosum ex arce Moloßum,
In campo natum, mœnia nostra, Nouo.
At priùs à magni benè pastum ciue Leonis,
Vt benè uocalis, magnanimusq́; foret,
Et satur haud alijs escis inhiaret ineptis,
In caula Domini sed retineret Oueis,
Quàm sit non mutus, præsens est pagina testis,
Illius huc uoces inde profecta ferens,
Quæ si tam uastum profert emortua sensum,
Ore tuo quantum, uiue Moloße, tonas?

e, adni
V. G. Regis Po
tissimi

IN EANDEM.

ECce nouata fides, amplũ uolitando per orbem,
Cultori genuit multa nefanda ſuo,
Extirpauit ubique pios fœdiſsima mores,
Barbariem inuexit, tetra uenena trucem.
Perturbat populos, diſcerpit regna, Deiq́;
Peßundat cultus (res miſeranda) ſacros.
Scilicet hæc Euangelij ſunt dogmata ſancti,
Relligio fructus adferet iſta bonos.
Quòd ſi multa forent rixanti Biblia turmæ,
Siq́; adſunt uarij in relligione libri.
Friuola, quid mirum, ſi non ſibi concio conſtet?
Protea nec referat turba profana uafrum?
Aſt omnes uno Chriſtum ſermone celebrant,
Nemo deeße ſibi candida uerba negat.
Nos penes eſt uerbũ domini, plebs tota frequẽtat:
Gratia nos Chriſti, paxq́;, fidesq́; capit.
Fortè roges, quo hæc manarit diſcordia fonte,
Semina [illegible]uæ tanti ſint referenda mali,
Quæue ſi[illegible] morbo medicina paranda fidelis:
A[illegible]ius ſcripta diſerta docent.

S. H.

ETsi genere Polonus sum, Serenissima Regina, Princeps Illustrissime, vosq; omnium ordinum viri ornatissimi. Etsi, inquam, genere Polonus sum, vicinus tamē Hungariæ, professioneq; Christianus, ob idq; Hungaris, quantum in me est, coniūctissimus. Quò fit, vt his optimè consultū iri vellem, quàm qui maximè: vel eò magis, quòd dominatu Regum, sanguinisq; coniunctione eorundem, & nunc, & olim Polonis Hungari deuincti fuere. quin etiam hoc tempore, vobis exposcentibus, Principes vestros cùm in Polonia, fatis ita ferentibus, non sine magna tranquillitate, dulciq; pace, aliquot annos exegissent: summa cum alacritate animi (absit odiosa assentatio) summa item obsequiorum promptitudine, & fidelitate, nec non apparatu belli splendidissimo, vnà vobiscum in Regnum vestrum felicissimè deduximus. Cùm igitur videam Principes vestros serenissimos, vosq; omnes, in id toto conatu animi incumbere, adnitentibus etiam inclytissimi Regis Poloniæ oratoribus, viris prudentissimis, & ornatissimis, vt tandem aliquando post tot ærumnas, tot calamitates, tot denique cla-

des, res Hungaricæ benè componi, & probè conſtabiliri poſsint. Et ipſe qui anteà inſtituendo Sereniſsimo principi veſtro, mandato Regio operam diligentiſsimam impendiſſem: his ſanctiſſimis conatibus, quoàd per me fieri potuit, deeſſe nolui. Quin potius Diogenem philóſophum mihi cenſui imitandum, qui Macedonum Rege expeditionem in Græciam adornante, cæteris mœnium propugnationi intentis, dolium ipſe, in quo degebat, ne inter ſuorum labores ignauiæ accuſaretur, quàm maxima poterat contentione, verſabat. Ego verò melius, qui vobis negotia profana tractantibus, de diuinis aliqua in medium proferam, ob eam potiſsimùm cauſam, quòd de illis, & in hiſce locis non rectè, ne dicam impiè plurimi ſentiāt, odijſq́ue pluſquam feralibus inter ſe ob ea diſſideant, & digladientur. Porrò vbi diuina impiè tractantur, aut derelictui habentur, non eſt quod quiſpiam (dum modò ſanæ mentis ſit) cætera bene ceſſura felicesq́; exitus habitura putet. Omne e-
Iac. 1. nim datum optimum, & omne donū perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre lu-
Prou. 16. minū. Qui vt agnoſcat, & piè glorificetur,

omnia

omnia cõdidit. Eius igitur regnum si primũ fideles nõ oscitãter quæsierint, cætera illis adijcienda promisit ille, qui fallere nõ potest, adeò vt citiùs cælũ & terrã ad nihilũ redigenda putes, quàm promissa illius immutanda. Dicã igitur, & dicã quàm breuissimè potero, de moribus corruptissimis, turbulentissimisq; & calamitosissimis in religione Christiana hoc seculo dogmatibus: quidq; in eis pio homini agendũ sequendúmue sit, vos quæso animũ aduertite. Illud aũt inprimis à vobis efflagito, vt, si vos æquos iudices dictis meis prębituri estis, animum affectibus vacuum afferatis oportet. Verissimè namque dixit Quintilianus, Id quod iudices fuisse volunt, esse facilè credere. Et sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor: ita omnem inquirendæ veritatis rationem à nobis amitti cùm affectibus occupamur. Quòd si fortè quispiam ista nõ prouidens, odio nostri, vel partis aduersæ amicitia abductus, nos irrisione persequi, nostraq; hæc acrius conuellere pergat, haud equidem moror: quippe qui id mihi cùm doctissimis viris cõmune sciã. Sed quid hos dico? cùm ipse Christus seruator omniũ optimè

Eccle. 17.
Mat. 6.
Matt. 5. 24.
Propositio orationis.
Affectus in recte iudicãdo officiunt.
Quintilianus.
Christus.

 docens,

docens, doctrinæq; suæ signis, & stupendis miraculis fidem faciens, sic contemptus, spretusque fuerit, vt furiosus, & dæmoniacus à plurimis ijsdem scelestissimis censeretur. Tantum affectus maligni in limanda veritate mentem obruunt, & præcipitant, nisi prouideris.

Narratio. Flere magis libet Christiani, quàm loqui, vbi mores corruptissimos seculi huius infelicissimi, & calamitosissimi quispiam fixius inspexerit, diligentiusque expenderit. Quamuis enim olim iam inde *Vitia priorũ seculorum.* à condito orbe, post obscuratum illud lumen naturæ, menti primi hominis diuinitus infusum, seculis subsequentibus, homines plurimis ac nefandis sceleribus obruti, execrandisque errorum ambagibus impliciti fuere, adeò, vt honorem, & gloriam, cultum denique, qui soli rerum opifici Deo debetur, detulerint hominibus, spiritibus malignis, animantibus rationis expertibus, statuis item ex ære factis, aut ligno cælatis, quibus etiam (horresco referens) filios & filias suas *Psal.105.* immolarunt: Tamen præsentis seculi, in *Vitia seculi præsentis.* maligno positi, scelera paria, vel potius grauiora ducenda sunt prioribus. Etenim post tot exempla grauissimarum pœnarum

narum de peccatoribus ſumptarum: poſt tot inſignia beneficentiæ diuinæ in homines teſtimonia: poſt corruſcantem Euangelij lucem, ab vnigenito filio Dei, in ſinu patris exiſtente, mundo illatam, mirandis prodigijs confirmatam, ſanguine Apoſtolorum, & innumerabilium martyrum obſignatam: deinde poſt perpetuitatem, & conſtantiam Eccleſiæ illi à Chriſto promiſſam: poſt tot hæreſes planè ſopitas, confutataſq; ſcripturarum, & Eccleſiæ authoritate, aduerſus quam ne portas quidem inferi Chriſtus præualituras pollicitus eſt: Poſtea (inquam) omnia, homines huius ſeculi, eorum omnium obliti tanquam equus & mulus, in quibus non eſt intellectus, in vitia ruunt, hæreſesq; iam à multis temporibus damnatas, in dubium reuocant. Quæ quidem facientes, timorẽ Dei abijciunt. Ingratitudinis in Deum, vitium longè omnium teterrimum, incurrunt: Charitatem peculiare quoddam Chriſtianorum inſigne rumpunt: Ethnicis & publicanis ſe pares demonſtrant, vel potius deteriores. Accidit enim illis illud Prouerbium à Petro repetitum, Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Quamobrem melius

Pſal. 31.

Ioan. 13.

Prouerbium
2. Pet. 2.

erat illis, dicente Petro, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum reuerti à ſancto mandato. Leuius enim redditur peccatum ignorantiâ: grauiùs damnabuntur qui crimen impietatis, ingratitudinis vitio cumularunt. Id quod Chriſt' apertè expreſsit, cùm diceret, Seruum ſcientem voluntatem Domini, & non facientem, plagis afficiendum multis: contrà neſcientem, & non facientem, paucis. Sodomitis item tolerabilius futurum in die iudicij, quàm Iudæis Chriſto non obedientibus. His aũt vitijs homines nouiſsimis temporibus, quaſi peſtilentia inuadendos, Paulus olim vaticinatus eſt: cuius verba hîc non ſine cauſa recenſenda duxi: Illud ſcito (inquit) in nouiſsimis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Erunt enim homines ſui amantes, auari, iactabundi, ſuperbi, maledici, parentibus non obedientes, ingrati, impij, ſine affectu, neſcij fœderis, criminatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, temerarij, tumidi, voluptatum magis amatores quàm Dei, habentes formam pietatis, ſed qui vim eius abnegarent, & hos deuita. Obſecro, an vitia

Peccatũ leuius redditur ignorantia.

Luc. 12.

Matt. 10.

Vaticinium Pauli de ſceleribus eius ſeculi.

2. Tim. 3.

hæc

hæc ſecundum vaticinium Pauli hoc ſecu lo non inundarunt? vos locupletes teſtes eſſe poteſtis. Ego certè quantum attinet actiones in ſpeciẽ ſtudioſas, quas moraliter bonas vocant, Turcas plurimis Chriſtianis pręſtare, cõſtanter affirmare auſim. Turcarũ mores quidam. Illi enim (veluti ex ſcriptis, & relatu quorundam accepi) æquitatis & pactorum ſeruantes ſunt: Principibus ſuis fideles, illisque ad nutum etiam obedientiſsimi: à rapina ſuorum abſtinentes, liberales in pauperes, ſobrij, legis ſuæ obſeruantiſsimi: adeò vt ne latum quidem vnguem ab ea declinare velint. Quamobrem Nota. conſultante etiam cum proceribus Cæſare, profeſſor legis eorum adeſſe iubetur, attentè obſeruans, ne quid legi contrarium ab illis decernatur, ſanciatúrue. In cæremonijs item, templisq; ædificandis magnifici, in quæ etiam per diem aliquoties, ſumma cum reuerentia venire ſolent. Quandoq; & in tẽpla Chriſtianorum, quæ apud illos cum rebus ſacratis, dicatiſque Deo inuiolata permanẽt, ſacerdotibus, monachis, ſuos prouentus vnà cum religione in pace retinentibus. Hæc & ſimilia ipſi Mahometico dogmate imbuti ſtudioſiſsimè obſeruãda curãt:

Chri-

Christianorum verò plurimos à Christo Iesu edoctos, ad melioremque spem vocatos, contraria illis facere pudet minimè. Nam vt cætera vitia, quibus madent, taceam: illa tamen recentiora oculos quasi ferientia, breuibus perstringam.
Psalm.25. Cùm iuxta
In prophanatores templorum. factum Dauidis, decor domus Dei illis diligendus esset, zelusq; eius, illos non dico mouere, sed comedere deberet, id quod
Ioan.2. Christo accidisse Ioannes testatur: Ipsi tamen contemptis spretisque legibus, ani-
Ioan.12. mo sacrilego, diligentes magis gloriã hominum quàm Dei, templa prophanant, defœdant, diruũt, rebus sacratis, dicatisq; Deo, manus prophanas admoliri minimè dubitant: idque suapte libidine ducti, citra omnem necessitatem, superiorumque consensum, eas in priuatum vsum conuertunt, satius esse ducentes, se, domosq; suas tapetijs, argẽto, auro nitere, quàm tẽpla. Adhæc, vt ipsi ea abliguriant, arcásve suas impleant, quàm vt in templo Domini ad publicos vsus, vrgente necessitate, recondantur. Ex possessionibus item Ecclesiæ potius alantur ipsi, eorumq; serui, quàm ministri Domini ad honorẽ &
Eccle.43. Dei gloriam: qui, sapiente Hebræo teste, **omni laude maior est**, vtq; agnoscatur, rite-

teque

teque glorificetur, omnia condidit. Questus est olim Deus apud Hieremiam, quòd Rechabitis mandata patris sui capessentibus, Iudæi mandata Dei negligerēt: Nunc ægerrimè non feret, cùm Turcis dogmata Mahometi mordicus retinentibus, Christianorum plurimi mandatis Dei non parent? quod si Deus Rechabitis vitio non vertit, quin potius gratiam se relaturum pollicitus erat, quòd homini patri suo morem gerentes, vinum non biberunt, nec seminarunt, in domibusque non manserunt, quæ quidem ad honorem Dei parum vel nihil pertinebant: Quomodo Christianis laudi non ducet, & non referet, quòd patrum maiorumque suorum traditiones in laudem & gloriam Dei vergentes firmiter retineant? Dedit pœnas grauissimas Baltazar Rex ethnicus, quòd vasa Domini ex templo Hierosolymitano à Nabuchodonozore asportata prophanarat, ex illis in conuiuio tantummodò bibens. Acerrimè à Deo percussus Heliodorus princeps, qui à Rege Antiocho Hierosolymam, raptum thesauros templi & hominū illic reconditos, missus fuerat: Christianorū verò plurimi, cùm id sine timore Dei, pro sua libidine tantū faciant,

Ierem. 35.
Danie. 5.
Baltazar.
2. Mach. 3.
Heliodorus.

ant, quomodo istud inultũ auferent? Notum enim est, quanti decorem templi ipse
Ioann.2. Christus Iesus fecerit, cùm Iudæos emẽtes
Christus quanti decorem templi fecerit. & vendentes, è tẽplo flagello ex funiculis facto, non sine maximo zelo expulerit & eiecerit, testimonium ex Esaia proferens:
Esa. 56. Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. quinetiam ne vas quidem, referente Marco, ferre per templum sinebat.
Mar. 11. Adhæc ipse festo innouationis templi, & dedicationis altaris à Machabæis instituto,
1. Mach. 4. *Ioan. 10.* interfuisse à Ioanne narratur. quòd si Christus cùm esset Deus, ea tamen quæ homines in honorem & gloriam Dei constituerant, non contempsit, imò sua præsentia approbauit: Tu qui es puluis, & cinis, cur ea facere dedignaris? cur eum honorem templis non defers? quin potius nulla necessitate adactus, sua tantùm libidine ductus rapis ea, quæ homines pij, pro ornamento templi, in honorem & gloriam
Exod. 38. Dei vergente, contulerunt, idque non si-
3. Reg. 6. ne sacræ scripturæ authoritate, in qua plu-
1. Para. 29. rima extant eius rei testimonia, quæ hîc
2. Mach. 3. recensere longum esset. Factum tamẽ Cy-
Esdræ 1. ri regis Persarũ silentio præterire nõ pos-
Factum Cyri Regis. sum, qui, licet ethnicus esset, populo tamẽ Iuda-

Iudaico ex captiuitate dimisso, templum Domini restaurare iussit, vasaq́; aurea, argentea, à Nabuchodonozore olim ablata, restituit, numerũ quinq; milliũ quadringentorum implẽtia. Adeò ethnici veros Dei cultores virtute anteeũt. At dices fortasse (vt de imaginibus pauca loquar) Dei prçceptũ esse: Nõ facies tibi sculptile. Non eo inficias, id dictũ Dei esse: Nego tamen ita, veluti opinaris, intelligendũ. Ea enim potissimũ ratione Deus id præcepisse existimandus est, ne Iudçi, qui tum tẽporis in idololatriã proni fuerant, idola facerent, quò eum honorem illis exhiberent, qui solius Dei viui est, veluti gentes fecere, iuxta illud Psalmographi: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Alioqui, nisi ad eum modum hic locus accipiẽdus esset, cùm Exodi xx. dixisset Deus, Non facies tibi sculptile: Vigesimo quinto verò, quasi sui oblitus, præcepisset duos Cherubin ex auro parandos, quomodo sibi non esset contrarius, & quasi sibi non constans? cùm tamen non sit Deus, quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Cùm igitur nullus sit locus, quod sciam, in literis sacris, quo præcipiatur imagines

Numerus vasorum.

Exodi 20.

Contra euersores imaginum.

Psal. 113.

Num. 23.

in

in templis non esse debere, non video, cur sententia istorum probanda sit, qui illas è templis eijciunt, præsertim cùm contraria in scripturis inueniantur exempla.

Exempla imaginũ ex scripturis.

Vnum illud proximè citatum, Alterum 3. Regum 6. vbi inter cætera scribitur, Salomonem præter duos Cherubin in medio templi inferioris collocatos, alios quoque in parietibus fecisse & palmas, & picturas varias. Huc accedit, quòd ab ipso tempore Apostolorum, imaginum vsus in Ecclesia fuerit, vt Athanasius, Eusebius, Gennadius, cæterique viri grauissimi, & vetustissimi docent. Donec circiter annum Domini septingentesimum septimum, imagines non esse recipiendas docere cœpit Xenaias quidam, fortunâ seruus, natione Persa, sectâ gentilis, à domino suo profugus, ab Antiochiæ episcopo inscio quòd baptisatus non esset, in Episcopum Hierapoleos ordinatus. Hanc hæresim plurimi complexi sunt, ob quam celebratum fuerat concilium Nicænum, quod Græci generale septimum appellãt, in quo hæresis Iconoclastarum siue Iconomachorum, hoc est, eorũ qui imagines tollunt, dãnata est. Vbi de imagine Christi inter cætera hoc decretũ est, quod hoc disti-

Xenaias autor sectæ Iconoclastarũ, Nicephorus. Eusebius

Cõciliũ generale septimum.

diſticho continetur: Nam Deus eſt, quod imago docet, ſed non Deus ipſa: Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa. Pro hac ſynodo Epiphanius Græcus plurima ſcripſit, rationes hæreticorum hac de re refutans. Inquiet forſitan quiſpiam, imagines eſſe ſcandalo, quippe quæ ab hominibus colantur. Vide, num rectè argumenteris. Nam prima propoſitio tuę argumentationis non omninò vera eſt, hæc ſcilicet: Quodcunque eſt ſcandalo, tollendum eſt: multa enim ſcandalo ſunt, nemo tamen mentis compos, ob id ſpernenda, tollendaque eſſe cenſuerit, ſed de illis rectè ſentiendum. Vt verbi cauſa, Scriptura ſacra, ex qua multi ſcandalizantur, eam perperam intelligentes. Chriſtus item dicente Paulo multis eſt ſcandalum, & ſtultitia. Quod & ipſe innuit, cùm apud Matthæum de ſe ipſo diceret, Beatus qui nõ fuerit ſcandalizatus in me. Iam & eadem ratione Sol & Luna è cælo deijciendi erant: plurimi ſiquidem fuere, qui hos coluerunt, & nunc fortaſſe aliqui adorant. quod verò ſecundam propoſitioné attinet, nempe quòd imagines, veluti opinaris, adorentur. Imagines aio in templis eſſe, non vt colantur, ſed vt

Diſtichon de imagine Christi.

Solutio obiectionis de imaginibus.

Multa ſunt ſcandalo, tamen nõ ſunt tollenda.

1. Corin. 1.

Matth. 11.

Imagines cur in templis ſint.

ſint memoria Chriſti Ieſu, ſanctorumq́ue eius, quos & pater cœleſtis docēte Chriſto honore dignatur: magis eñ mouent animum, quæ quaſi præſentia cernuntur, iuxta illud Horatij: Segnius irritant animos demiſſa per aurem, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus: Proinde in medio templi, vel alibi, imago Chriſti crucifixi ſtatuitur, vt in mentem homini ſubeat, quòd Chriſti paſsione redemptus, & credens in eum, corpori myſtico, quę eſt Eccleſia, per templum materiale deſignata, miſertus ſit, ob idq́ue gratias Deo agat, & ſecutus Paulum in cruce Domini Ieſu glorietur, per quem ſibi mundum, & ſe mundo crucifixum exiſtimet. Sanctorum item imagines inſpiciens, eos ſibi imitandos proponat, in fideq́ue roboretur, eiuſdem Pauli pręceptum ſecutus: Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti. Quòd ſi ſint qui hæc ignorent, docendi ſunt, neque ob id imagines eijciendæ. Iam ſi dixeris, ſacerdotes ipſos ac Epiſcopos ante illorum imagines cereos ſuffigere, ſuffitumq́ue facere. Non te offendat (ait Gennadius Conſtantinopolitanus patriarcha, vir ſanctus & miraculorum patrator) ſymbolicôs enim iſta fiunt, non lignis aut lapidibus ipſis, ſed

Ioan. 12.

Horat. in arte poetica.

Crucis imago cur in templis ſtatuatur.

Gala. 6.

1. Cor. 11.

Sanctorum imaginum cauſa.

Solutio obiectionis, cur ante imagines cerei ſuffiguntur, & ſuffitus fit.

ſed in honorem illorum, quibus cum Christo requies eſt, & quorum honor ad ipſum recurrit, atteſtante ſapiente Baſilio, Qui erga cõſeruos bonos honorem, erga ipſum Dominum beneuolentiæ ſigna exhibet, luminaria, fidei lumen, odoramenta boni odoris imitationem deſignant. Qui quidem odor Sancti Deo fuere, nosque exemplo illorum eſſe debemus. Id quod Paulus de ſe prædicat, Chriſti (inquit) bonus odor ſumus Deo: Qui cùm ſanctos, teſtante Chriſto, honorificet, quánam audacia tu illos deſpiciendos duces? memoriamque illorum nullam in Eccleſia extare cupies? At contrarium ſapiens Hebræus præcipit, cùm diceret: Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua: ſapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia. Laudibus vehuntur abs te Horatij, Decij, Scipiones, Fabricij, Lucretiæ, & alij innumerabiles ethnici, eorumque imaginibus ædes tuæ adornantur: Sancti cõtrà, qui mẽbra Chriſti ſunt, contẽnentur, obliuioni tradẽtur, imagineſq; eorum cõfringentur, & exurẽtur? Nomina iſtorũ, qui cuius ſpiritus fuerint, neſciſ, faſtis ſeu calendarijs inſcribis,

2. Cor. 2.

Ioan. 12.

Eccl. 44.

Sanctorum laus in Eccleſia.

Imagines Ethnicorũ.

imaginesque illorum non sine animi voluptate inspicere gaudes: Ea verò quæ in libro vitæ scripta sunt, eradenda duces, imaginesque item eorum ne aspectu quidem dignaberis? Qua quidem re ethnicis te similem ostentas, imò deteriorem. Siquidem aliqui illorum Christi imaginem habuerunt, & venerati sunt. Quod de Alexandro Seuero Cæsare, & de Cherseogle Baiazetis genero, scriptores prodidere. Sed dum hæc à nobis dicuntur, non defuturos reor, qui ad scripturam diuinam prouocent. In quo quidem tripliciter errant: Primùm, quòd ea in re illis scriptura contraria sit, tantum abest, vt patrocinetur, veluti paulò antè ostensum est, ex sequentibusque magis liquebit. Deinde, quòd solùm illa credenda seruandaque esse existimant, quæ in scripturis diuinis apertè descripta inueniantur. Postremò, quòd Ecclesiæ authoritatem & traditionem eneruent. Quorum neutrum ab Orthodoxis recipitur. Si enim hoc secundo loco dictũ, veritati con sonum esset, vti illis videtur: certè hac ratione Euangelistarũ scripta, imò & cæteri libri sacræ scripturæ abijciẽdi erunt, quod aliquando ab Ebionitis factũ, solo Euangelio

Ioui. lib. 13. Tom. 1.

Triplex error, qui disputantes de imaginibus, ad scripturã prouocant.

Iren. lib. 1. ca. 26. cõtra hæres.

gelio Matthæi vtentibus, & alijs vetus testamentum lacerantibus. Quem enim locum ex ſcripturis diuinis commonſtrabunt, vbi Deus apertè prædicaret, quot, & quínam libri ſacræ ſcripturæ ſint? Neque eſt, cur ſolùm ad titulos librorũ recurrãt. Erant enim Euangelia (vt grauiſsimi & vetuſtiſsimi ſcriptores teſtãtur) ſub nomine Apoſtolorum falſo ab hæreticis prolata, vt Iudæ, Petri, Thomæ, Matthiæ: non ſunt tamen Eccleſiæ authoritate approbata. Quam quãti diuus Auguſtinus fecerit, ipſe oſtendit, cùm diceret: Non crederem Euangelio, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret authoritas. Sed præter ſacræ ſcripturæ libros, & alia ſunt, quæ per Eccleſiæ traditionem innotuerunt, quorum quędam ad ſalutem etiam neceſſaria ſunt: vt Spiritus ſancti diuinitas, & æqualitas cum alijs perſonis, quam Eunomiani negabant, quia in ſcripturis diuinis minimè contineri illis videbatur. Eam opinionẽ ſecutus Macedonius, in Concilio Conſtantinopolitano condemnatus: Verba item conſecrationis corporis Domini: Nominis perſonæ in deſcriptione Trinitatis vſurpatio: Quòd in paruulis baptiſmus efficax ſit: Diei dominicę pro ſabbato in-

Iren. lib. 1. cap. 35. cõtra hæreſ.
Euſeb. lib. 3.
Aug. cap. 5. contra epiſ. Manich.

Quæ per traditionem Eccleſiæ innotuerunt.

Tertull. de coro. mili.

to introductio, quam tempore Apostolorum fuisse ex 1. cap. Apocalypsis constat, & id genus alia non pauca. Quorum aliqua cùm recensuisset vetustissimus scriptor Tertullianus, subdit: Harum & aliarum huiusmodi disciplinarum si legem postules, scripturam nullam inuenies, traditio tibi perpendetur auctrix, & consuetudo cõfirmatrix, & fides obseruatrix. Quin & locus Pauli 2. ad Thessal. 2. contra eos est, qui nulli rei fidem haberi volunt, quę non expresse in scripturis caueatur. State (inquit) fratres, & tenete traditiones, quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam. Contra quos hoc loco Chrysostomus & græca scholia, referente Hagneio, græcè quidem, sed in eam sententiam loquuntur. Etenim scripta & non scripta præcepta tradiderunt Apostoli, & vtraque obseruatione digna. Igitur & Ecclesiæ quoque vel non scripta traditio seruanda est. hæc ille. Nec dissimiles locos aliquot in Paulo, alijsque scripturis inuenire est, ad hanc hæresim retundendam, quæ Eunomianorum, Arrianorum, Nestoris, Arrij, & aliorum fuerat, in concilio generali septimo ab annis septingentis sexaginta quinque damnata. Eam tamen

Locus Pauli.

men recentiores non deterriti supplicio illorum complexi sunt, autoritatem & cõsuetudinem Ecclesiæ nihili facientes.

Paulus vas Domini electũ (vt de eo quod tertio loco propositum fuerat dicam) rem indifferẽtem, de qua nihil in scripturis sacris cauetur (vt scilicet vir aperto capite, mulier operto oret) obseruari vult ab omnibus, argumentum aliud aduersus contentiosos non afferens nisi Ecclesiæ consuetudinem: Si quis (inquit) inter vos videtur esse contentiosus, nos talẽ consuetudinẽ non habemus, neq; Ecclesia Dei. Quẽ morem canone 14. secutũ est Nicęnũ Conciliũ contra Arriũ congregatũ, cui inter cæteros plurimos Paphnutius Aegypti episcopus interfuit, per quẽ sicuti olim ꝑ Apostolos signa fiebant: Isti verò nescio quo spiritu inflati, tot annos obseruatas Ecclesiæ Catholicæ consuetudines nihili ducunt: qua quidem ratione alienos se à Dei spiritu manifestißimè produnt, cùm ille, dicente Paulo, nõ dissensionis sed pacis sit author. Verùm enimuerò minimè mirum est, si diuum Paulum, Nicænumq́; Conciliũ ceu vnũ ex quatuor euãgelijs habitũ, contẽnant, cùm eo modo & Christo Iesu notam mẽdacij se inurere, aut nõ ani-

Consuetudo Ecclesiæ.

1. Cor. 11.

Libr. 10. Eccles. hist.

1. Cor. 14.

Ecclesiæ erroris insimulantes, quid Christo iniurant. m̃aduertunt, aut non verentur. Nam cùm Ecclesia Catholica semper sit, alioqui Catholica non esset, hoc est, vniuersalis, quæ vniuersalitas non solùm refertur ad loca, sed ad tempora. Quamque etiam visibilem esse Christus voluit, cùm diceret: Si

Matth. 18. te non audierit frater tuus, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquã Ethnicus & Publicanus. Quî enim Ecclesiæ diceret, quæ illi inuisibilis & incognita esset, veluti isti putant. Ei autem Ec-

Ioan. 14. clesiæ Christus pollicitus est se missurum spiritum veritatis, cum ea perseueratu-

Matth ult. rum in æternum. Ipseque apud Matthæum idem se facturum prædixit: Nõ video qua ratione isti erroris Ecclesiam insimulantes, blasphemiam in Christum effugere poterint. Quod verò attinet locos ab istis in contrarium adduci solitos, vt il-

Deut. 12. lud, Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam nec

Solutio quorundam locorũ sacræ scripturæ ab aduersariis testimonii gratia nõ rectè productorum. diminuas. Hic locus in eo sensu accipi non potest, vt isti detorquent. Dominus enim hoc loco (vt ex antecedentibus verbis colligitur) inhibet solùm populo suo, ne relicta doctrina cultus sui, quam ipse per Moysen dederat, cæremonijs falsorũ deorum ipsum colerent, non verò addi-

tionem

tionem in vniuersum prohibet, alioqui sequeretur solum Pentateuchum Moysis à fidelibus recipi debere, (quod Samaritani fecerant) alij verò libri veteris & noui Testamenti explodendi erunt. Maledictioni itẽ obnoxius erit Iosue vel Esdras, qui bonam partem vltimi capitis libri Deuteron. addidit de morte Moysis, &c. Sacrilegus fuisse putandus erit Moyses, qui multa addidit, quo ea quæ præcipiebat Dominus declararet, vt in ritu phase, & in obseruatione sabbati, vbi constat legentibus præter Dei præcepta aliqua fuisse addita. Haud dissimiliter solui potest secundus locus, quem ex Paulo afferunt, Si quis vobis euangelizauerit præterquã quod accepistis, anathema sit. Vt scilicet intelligatur de doctrina contraria & aduersa euangelicæ doctrinæ, & quæ illi derogabat, veluti illa quam pseudoapostoli Galatas docebant, in ignominiam Christi prædicantes, legem Moysis necessariam esse ad salutem homini, qui in Christum credidit. Itaq; non prohibet eis aliam doctrinam, nec alia scripta tradentia ea, quæ ad gloriam Christi pertinerent. Alioqui anathema fuissent, qui receperunt Ioannis euangeliũ & Apocalypsim, quæ longè

Exod.12.

Exo. 20. 23, 24.

Gal.1.

Locus Pauli nõ rectè pro tuendo errore citatus.

Mar. 7. Locus ex Marco.

D. Paulus cur vitia sigillatim enumerarit. 1.Cor.10. Sapient.2.

post Paulum ſcripta ſunt. Tertius locus ex ſcriptura, nunquàm non in ore iſtorum verſatus, vbi de traditionibus Eccleſiaſticis ſermo incidit ex Marco: In vanũ me colunt docentes doctrinas, & præcepta hominum. At liquet, præcedentia in eo capite expendenti, loqui Chriſtum de frigidis traditionibus, & prorſus inutilibus, qualis eſt: Illotis manibus non manducandum panem: Non licere comedere è foro redeuntibus, niſi lauarentur: & alia illic à Chriſto expreſſa. Quæ nihil habent commercij cum apoſtolicis & eccleſiaſticis traditionibus, quibus Eccleſia fulcitur & roboratur, de quibus anteà dixi. Sed his ad quæ refellenda ardor animi me abſtulerat, dimiſsis, tum alijs quæ in contrarium ab iſtis proferuntur, quæ quidem omnia inter cæteros Martinus Pereſius accuratè confutauit: ad cætera quæ præſentis ſunt inſtituti, pergamus. Vbi parumper expendamus obſecro, cur prædictum catalogum vitiorum Paulus recenſuerit, ea quaſi digito commõſtrans, quod & in alijs locis fecit. Neq; enim temerè feciſſe putandus eſt. Nouerat nimirum ille à ſpiritu ſancto edoctus, homines in quos ſeculorũ fines deuenerunt, malitiâ ita excæcatum iri, vt mani-

manifesta scelera perinde ac si scelera non essent ab illis dissimularentur ac contemnerentur. Quiq; prauis doctrinis imbuti, & libertate Euangelica abutentes, confiterentur se nosse Deum, factis autem (vt Titum 1. idem agit) negarent, sintq; ad omne opus bonum reprobi, satis sibi ducentes, si in omni genere vitiorum volutati, ceu in volutabro cœni, Christũ mediatorẽ ore tantùm confiterentur, magisq; linguã quàm mentẽ piam habentes, suas fides fictas, vel potius perfidias cõfingerent atq; iactarẽt. Cũ tamen vna sit fides, sicut vnus Deus, vt Paul⁹ ait. Idemq; manifestissimè fateatur, Ephes. 4. factores, non auditores verbi, iustos esse Rom. 2. apud Deum. Sed & ipse Christus apertissimè idipsum testatur cùm diceret, Non Matt. 7. omnis qui dicit mihi Domine Domine, introibit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei. Quòd si regnum cœleste obueniret ijs, qui sola fide contenti, luxuria diffluunt, ac delicatè & molliter viuunt: sanè ea ratione stultitiæ arguendi essent Apostoli, & omnes electi Dei: quippe qui (vt isti opinantur) dissolutè viuendo æternæ vitæ sortituri erant hæreditatem: nihilominus corpus suũ castigabant, & in seruitutẽ redigebant labo-

Argumentũ cõtra eos qui fidem mortuam iactant.

1. Cor. 9.
2. Cor. 11.

Dan.10. laboribus plurimis, vigilijs, ieiunijs, à carne & vino abſtinentes, orationi inſtabāt,
1.Tim.5.6. Rom. 12. Pſal. 118. nocte etiam ad confitendum nomini Dei ſurgentes. Alij (vt Paulus ait) circuierunt
Hebr. 11. in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudine errantes in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ, prouidentes bona non ſolùm coram Deo, ſed
Rom. 12. 1.Theſ.5. etiam coram omnibus hominibus, ab omni ſpecie mali abſtinentes, adeò vt Paulus
1.Cor.8. doctor gentium diceret, Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem. Harum actionum piarum & aliarum plurimarum euidentiſsima extant in
Tertul. de ieiunio aduerſus Pſichicos literis ſacris, ſcriptiſq́; grauiſsimorum authorum teſtimonia & exempla, quæ ſi recenſere vellem, tempus me deficeret. Ad
Aliud argumentum. hæc ſi credentes ſolùm regnum Dei poſſeſſuri eſſent, & non etiam declinantes à malo, facientesq́; bona, id quod Pſalmo-
Pſal. 36. graphus faciendum præcipit: certè Paulus ſpiritu Dei loquens, mendacij notandus
1.Cor. 6. erit, quòd diceret: Nolite errare, neq; fornicarij, neq; adulteri, neque molles, neq; fures, neque auari, neque ebrioſi, neq; maledici, neque raptores regnum Dei poſsidebunt. Quin & ipſe Chriſtus, cùm dice-
Matth.7.

ret,

ret, latam esse viam & spaciosam, quæ abducit ad exitium, angustam verò portam & strictam, quæ ducit ad vitam, ad eamque ingressuris mandata Dei seruanda præciperet. At hæc Christo & sanctis tribuere, nefandum esse & impium, nemo nisi impius ipse negauerit. Hoc verò seculo maligno, vitia prædicta plurimi non solùm non fugiunt, verumetiam in illis mirum in modum sibi blandiuntur, lętanturque, cùm ea fecerint, pasimq; sicut Sodoma & Gomorra prædicant. Eos item, qui ea patrant, amant, prouehunt. Contrà ab ijs alienos, sibi ad videndum quoq; (vt Sapiens ait) graues ducunt, quòd vitâ illis dissimiles sint. At contrarium fieri debere sacræ literæ innuunt. Odiui (inquit Psalmographus) cætum malignantium, & cum impijs non sedebo. Detrahentem secretò proximo suo, hūc persequebar. Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc nō edebam. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Et Paulus, Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi ne cibum capiatis. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens

Matth.5.19.

Notantur homines eius seculi.

Prouer.2.
Esai.3.

Sap.2.

Psal.25.

Psal. 100.

1.Cor.5.

Titum 3.

ſciẽs quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit cùm ſit proprio iudicio condemnatus. In ſemetipſum ſcilicet ſententiam ferens ſuo arbitrio de Eccleſia recedendo. Atqui hoc ſeculo homines animales non percipientes ea quæ ſunt ſpiritus, hæc contemnunt, iuxta illud: Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit. De ijs illud Tertulliani aduerſus Pſychicos dici poſsit, Deus tibi venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & ſacerdos cocus, & ſanctus ſpiritus nidor, & condimenta chariſmata, & ructus prophetia. Et paulò pòſt, Apud te Agape in caccabis feruet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis iacet: Hæc ille.

Prouer.18.

Cæterùm dum hæc loquor, ne quiſpiam fidei, id quod eius eſt, per me detractum putet. Scio enim quid illius ſit. Qua de re verboſiùs diſſerui in aſſertione, qua oſtendi ſecundum doctrinam Pauli, charitatem præſtantiorem eſſe fide, etiam in hac vita: quæ aſſertio eſt Cracouiæ typis excuſſa. Illud autem magis deplorãdum eſt, quòd ea vitia & dogmata tantum inualuerunt, vt remedia pati non poſsint. Nam ſi fortè aliqui probi & docti, ad miniſteriũ verbi diuini iuxta ordinem Eccleſiæ ritè vocati,

Vitia eius ſeculi remedia pati non poſſunt.

cati, voce (iuxta præceptum diuinum) exaltata vt tuba, ſcelera eorũ & dogmata peſtifera proſcindant, firmiſsimisq́; rationibus conuincant, extemplò inſcitiæ infamantur, atq; explodũtur, ab ijs etiam, qui vix à primo (quod aiunt) limine literas ſacras ſalutarunt, imò ab analphabitis, aures etiam ſuas exemplo Iudæorum continentibus, & quaſi furore percitis, iuxta dictũ Pſalmographi: Furor illis ſecũdum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocẽ incantantium & venefici incantantis ſapienter. O peruerſum, & inſanum iudicium, ô mẽtem in reprobum ſenſum datam. Tu qui diſcipulum te profiteris, ſupra magiſtrũ eſſe vis. At id Chriſtus negat. Nõ eſt (inquit) diſcipulus ſupra magiſtrum, quatenus ſcilicet opera illius in diſcendo vtitur. Nã qua ratione imperitus de perito iudicium rectum ferrè poterit, cùm nemo bonus iudex ſit earum rerum quas nõ nouit? At dices fortaſſe, Non ſum tam hebeti, neque tam ingenio turpiter hirto, vt quamuis in literis ſacris verſatus non ſim, minimè tamen intelligã ea de quibus diſſeritur. Non nego id quidem, quin aſſequi poteris ea quæ intellectu ſunt facilia: Cæterùm

Pſal. 52.

Iudex bonus quis.

Mar. 10.

Solutio obiectionis.

terùm de difficilibus aliter sentiẽdum est. Non enim frustrà scriptura monet, Ne sis sapiens apud temetipsum. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Et alibi: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Potest equidem tua ratio ea dictare, quæ peritis, & Deo contraria sunt, præsertim, cùm sicut cælum exaltatum est à terra, ita cogitationes & viæ Dei à cogitationibus & vijs hominum, vt est apud Esaiam. Quòd si de cæteris rebus & scientijs tibi ignotis, ingenio tuo minimè fidis, verùm peritissimos quosq; consulis, neque vni eorum satis fidens, plures in cõsilium adhibes, suo iudicio diffisus, cur istuc ipsum in negotio religionis facere contemnis? cùm hic error periculosissimus sit, quem æterna animæ damnatio manet. Et in religione literisque diuinis plurima sint intellectu difficilia, quarum etiam omnia arcana non temerè omnibus sunt communicanda, testãte idipsum scriptura diuina. In epistolis Pauli (inquit Petrus Apostolus) sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant sicut cæteras scripturas, ad suã ipsorũ perditionem. Quod non sine nostro magno malo in his perturbatoribus religiõis experi-

Prouer. 2. *Esaiæ 1.* *Psal. 55.*

Scripturarũ diuinarũ artem omnes paßim sibi vendicant, cæteras artes nõ item.

In literis sacris & religione quedã intellectu difficilia.

2. Petr. 3.

experitur Ecclesia. Paulus itē cùm dixisset 1. Cori.2. Sapientiam loquimur inter perfectos, cap.3. subdit: Tanquam paruulis in Christo, lac potum dedi vobis, nō escam. Nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis. Et ad Hebræos 5. Perfectorum solidus est cibus, id est, perfecta altiorum mysteriorum intelligentia, eorum, qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. Esaias item cap. 28. ait. Quem docebit Dominus scientiam, & quem faciet intelligere auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Rectè igitur ille Basilius Magnus, cùm coram Valente imperatore fidei suæ rationem redderet, insolentiam cuiusdam Demosthenis, super imperiales epulas constituti; doctoremq́ue mundi culpantis seuerissimè coercuit: Tuum est, inquiens, de pulmentarijs cogitare, non dogmata diuina decoquere. Nam sicut (docente eodem) in cera quis scribere non potest, nisi characteres impressos antè deleuerit: sic nec anima, diuina dogmata degustare, nisi pristinos ex animo mores penitus exuerit, cùm (suffragantibus huic sentētiæ literis sacris) In maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habi-

Hebr.5.

Histor. eccle. trip. lib.7. cap.36.

Epist. de vita solit.

Sapien.1.

tabit in corpore ſubdito peccatis: neque
1.Cor. 2 animalis homo, qui ſcilicet animi ſui ſenſum ac libidinem tantummodò ſequitur, percipit ea quæ ſunt ſpiritus: Stultitia eñ eſt illi, & non poteſt intelligere, id quod ſpiritualiter dijudicatur. Sed iam fortaſſe tacitus cogitas, ſe Chriſtianũ, neq; moribus adeò corruptis eſſe, atq; ob id Spiritus ſancti minimè expertem, quem Chriſtus Ieſus Deum patrem promiſit daturum petentibus eum. Idemq́; Chriſtus pollicitus ſe adfuturum in medio, vbicunq; duo vel tres cõgregati fuerint in nomine eius. Neque ego nego iſta eſſe vera quæ dicis: hinc tamen minimè colligis, quod vis. Nam ſacrę ſcripturę loci in mediũ à me producti, etiam de Chriſtianis loquuntur, qui tibi ſimiles eſſe potuerunt: & verba Chriſti à te citata, non tam de Spiritus ſancti dono ad ſalutem vnicuiq; neceſſario, quàm ad vtilitatẽ Eccleſiæ generaliter pertinentẽ, intelligenda ſunt. quorſum eñ Paulus dixiſſet, Ipſe dedit quoſdam quidẽ Apoſtolos, quoſdã aũt prophetas, alios verò euangeliſtas, alios autẽ Paſtores & doctores, ad conſumationẽ ſeculi. Et alibi, cùm recenſuit varia dona hominũ in Eccleſia, quæ operatur vnus atq; idem ſpiritus diuidens ſin-

Solutio obiectionis eorũ, qui temerè vſurpant ſibi interpretationem diuinæ ſcripturæ.

Lucæ 12.

Matth. 14.

Ephes. 4.

1.Cor. 12.

ſingulis prout vult, adiecit: Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes doctores? nunquid omnes gratiam habent curationum? Diuus Iacobus quoq; ambitionem inanis tituli & doctrinarum varietatem inhibet (alioqui ſeſe Paulus doctorem gentium iurè appellat) Nolite (inquit Iacobus) plures magiſtri fieri fratres mei. quibus verbis multorum effrenem inhibet audaciam, qui ſtatim vt erant baptizati, temerè docendi alios munus vſurpabant, ita, vt quidam Antiochiam profecti dicerent, non eſſe ſine circuncisione ſalutem. Quales & Paulus notat: Quidam (inquit) aberrantes conuerſi ſunt ad vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Quod verò Chriſti promiſsionem attinet, qua ſe tribus in nomine ſuo cõgregatis adfuturum pollicetur (ex quo loco Nouatiani ſibi veram ſcripturæ intelligentiam arrogabant, veluti & hodie plurimi faciunt) D. Cyprianus martyr ab hac promiſsiõe Chriſti ſecludit hæreticos pacis chriſtianæ & vnitatis Eccleſiæ turbatores. Non igitur illotis manibus (quod aiunt) ad religionis chriſtianæ myſteria

1.Tit.2. *Iacobi 3.* *Act.15.* *1.Tim.1.* *Solutio obiectionis.* *Nouatiani.* *De ſimp. pra.*

ſcripturamq́ue diuinam accedendum eſt, neque illa pro ſuo arbitrio vnicuique tractanda, propterea magis, quòd ſit (docēte quodam ſcriptore grauiſsimo & vetuſtiſsimo) ſimilis imagini obtutum circumagēti. Quemadmodum enim illa ex quacunque parte eam adieris, te aſpicere videtur: Ita & ſcriptura bonis & malis ſe præbet. Cui rei argumento ſunt omnes ferè hæretici, qui dogmata ſua, ſcriptura ſacra perperàm intellecta corroborare nituntur, eaq́; truncatim citata, perinde faciunt atq; funem ex arena quiſpiā nectere conetur. Id quod & diabolus Chriſtū tentans, feciſſe legitur, ſcriptúra ab eodē viciſsim conuictus. quòd ſi plurimi hęreticorū, ſcripturarum ſacrarum periti fœdè & grauiter lapſi ſunt, adeò, vt inter cæteros Nouatus homo alioqui perit⁹, ex locis epiſtolę ad Hebręos malè intellectis negauerit, ſemel in peccatū poſt baptiſmum prolapſos ad pœnitentiam recipiēdos: quis ſpondere ſibi audeat fabros, cerdones, mulierculas, pueros, nequaquam ex ſcripturis offenſum iri malè intellectis, ſuoq́; idiomate verſis, pręſertim quum nullā ſacrarum literarū expoſitionē admittant, nudamq́; velint apprehendi ſcripturarū literam? quis, inquam, & eos

Scriptura ſacra cui ſimilis.

Hæretici.

Matth. 4.

In cerdones, mulierculas ſcripturam interpretantes.

Nouatus fide lapſus.

& eos securos reddat, & nos suæ securitatis certos faciat? vel eò magis, quòd dicat Apostolus: Qui stat, videat ne cadat. Quamobrem rex Gallorum christianissimus, & prudentissimus Parisiorum senatus, cùm videret eo modo grauem in negotio religionis afferri errorum materiam, inhibuisse aliquando fertur, ne passim sacra Biblia venirent, aut ederentur vernaculo sermone conuersa, idque forsitan non ineptè, præsertim cùm vniuersorum bibliorum lectio, & intelligentia, ad salutem necessaria omninò nõ sit. Alioqui multi indubiè viri boni & simplices damnationis rei essent. Neque verò recens id decretum est. Nam & apud Iudæos ad principium Genesis, & exordium finemque Ezechielis, nemo ante triginta annos natus admittebatur. quod si quispiam legere cupit, id faciat velim adhibitis in obscuriora loca orthodoxorum & catholicorum, nõ sectariorũ expositionibus. Qua de re nos in scopo nostro Biblico latiùs scripsimus. Illud verò hoc loco non prętermittẽdum videtur, hãc scilicet arrogantẽ hominum licentiã, & libidinẽ in scripturis interpretandis, doctoribusq; seu cõcionatoribus censendis, ab Apostolo prædictã esse, quò

1. Cor. 10.

Mandatum Regis Galliæ.

Gagueius.

Iudæorum decretum.

Hier. ad Paulinum.

Licentia hominũ in censendis doctoribus, olim à Paulo prædicta.

1. Tim. 4. magis caueatur: Erit (inquit) tẽpus cũ sanã doctrinã nõ sustinebũt, sed ad sua deside-ria coaceruabunt sibi magistros, prurien-

Expositio verborum Pauli. tes auribus, & à veritate quidem auditum auertẽt, ad fabulas aũt conuertentur. Qui-bus verbis designat, quæsituros olim ho-mines doctores eos qui sibi adblandian-tur, impunitatẽ promittentes, & leniter aures scalpentes: non veritate, & gehennæ terrore rodant. Cui non dissimile est illud

Threno. 3. Ieremiæ: Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatẽ tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Quam verò hoc malum hisce temporibus latè ser

Dementia hominũ eius seculi. pserit, & auctũ sit, in confesso est. Nã pluri mi hominum eò dementiæ peruenerunt, vt si quispiã noui aliquid proferre, & quæ anteà semper in bonis ac salutaribus habi-ta sunt, in contemptum adducere ausit, in huius sententiã mox pedibus eunt, huic applaudunt. Quod ille contemptui ha-bet, & id illi citra vllum iudicium nihili ducunt, etiamsi ne id quidem illis constet quam ob causam, quáue ratione illis sper-

Doctores seu concionatores eius seculi. nendum sit. Doctores contrà tales pluri-mos inuenias, quales olim in literis sacris, suis quasi coloribus depicti sunt. Referũt

Rom. 16. enim illæ, eos suo ventri seruire, verbum

Dei

Dei falsificare, eoq; ad quæstum suum abuti, secundũ desideria sua ambulare in impietatibus, seipsos segregare, à Spiritu Dei alienos, dominos spernere, in præditos potestate maledicta cõgerere, sectas non metuẽtes introducere, Christi gratiã trãsferre in luxuriam, per dulces sermones & adulationes, corda innocẽtium seducere, vt meritò in scriptura diuina nominẽtur fluctus feri maris. quòd inquieti, & tumidi pacem Ecclesiæ impugnent, sidera itẽ errantia, quòd in doctrina sibi non constent, sed diuersa doceant. Quam leuitatem nostro seculo princeps quidam in vicinis suis macula hæreseos inustis, irrisisse fertur, dicens: se scire quid illi anno trãsacto de religione sensissent, futuro verò quid sensuri essent, sibi ignotum esse. Talibus doctoribus nostro seculo suboriri & pullulare impunè incipientibus, succreuere deinde hæreses, quotidieque exoriuntur, vt vix inuenire queas, cui cũ altero in vniuersum conueniat. Is namque hæreticorum mos esse fertur, quoties in vno pietatẽ contẽpserint, & à via veritatis aberrauerint, in multos & varios errores labuntur. Vniformis enim est res veritas, mendaciũ autẽ in varia distrahitur.

2. Cor. 4. *Iudas apostolus in canonica.* *Rom. 16.* *Iudas in epistol.* *Leuitas quorundam in religione.* *De hæresibus eius seculi.* *Mos hæreticorum.* *Veritas. Mendacium.*

Cæterùm hæreſes noſtrorum temporum, nunc nec recenſere, nec refellere volo: tamen ſi qui volet cum illo conferam, hoc vnum teſtatus, & ſi ipſe deficerem, non defuturos tamen in ea re viros doctiſsimos, & orthodoxos, quorũ aliqui hæc dogmata ſcripturis confutarunt, neq; Eccleſiam, aduerſus quam ne portæ inferi præualebunt, dicente Chriſto. Illud potius dicam, quęnam mala has doctrinas peſtiferas ſubſequantur. Cùm magnum & firmum vinculum ſit religio, plurimi his dogmatibus ad ipſam factionem & bella inteſtina attrahi ſolent: cuius rei teſtis eſt Germania, in qua anno ab hinc 32. intra 3. ferè menſes, in conflictu ſupra centena millia ruſticorum trucidata ſunt, qui ob libertatẽ Chriſtianam falſe illis prædicatam, bellum contra dominos mouerant. Nec diſsimile poſteà bellũ ab anabaptiſtis in Vveſtphalia anno ab hinc 22. excitatum eſt. Et alia prętor hæc etiam in alijs prouincijs. Proinde ille qui eius rei caput fuerat, fertur coact⁹ fuiſſe aliquando pontificis regnum, & monachorum, quod vocat, in vrbibus, quæ maximæ illi credebant, deſiderare. Ita illi animos audientium afficiunt, eoſque affectus in eis excitant. Ob quam rem ali-

Matt.16.

Quæ mala ſequãtur peſtiferas doctrinas.

Bellum ruſticorum in Germania.

Vide quid peperit bono doctori fucus libertatis.

quan-

quando indoluisse legitur Erasmus ille Roterodamus testis occulatus, quem hic honoris ac dignitatis causa nomino. Neque solùm factiones, bellaq́; pestifera praua hæc dogmata & olim & nunc excitarunt, sed & alia mala inuexerunt, talia certè, qualibus anno ab hinc ferè millesimo centesimo Basilius ille Magnus vigente hæresi Arriana, vt opinor, Ecclesiam afflictam fuisse questus est, inter cætera inquiens: Domus orationum conclusæ sunt, vacua altaria spirituali cultu, non est oblatio, neq; suffumigium, prophanata sunt sacra, permissum est docere omni blasphemæ linguæ: fugiunt domos orationum populi sani velut doctrinæ impietatis locos: euersa sunt pietatis dogmata, confusæ sunt pietatis leges, perijt authoritas sacerdotalis, vnusquisq; in voluntate cordis ambulat, prauitas immensa est, populi admoneri nolunt, præsides dicendi libertatem non habent: à quibusdã velut scutum mutui inter ipsos belli, excogitata est defensio rectæ videlicet de fide sententię, & proprijs inimicitijs occultatis, pro pietate gerere se inimicitias confingũt. Vnũ est crimen, quod nunc vehementer damnatur, ac punitur, diligens obseruatio traditio-

Factiones.

Basil. epist. 96. 70.

Nõ tã ouum ouo simile est quàm hæc iis quæ hoc seculo aguntur.

Nota.

Traditio Patrum.

ditionum patrum, ob hoc fugātur patrijs

Presbyterorum fuga. pij, fugæ presbyterorum, fugæ diaconorum, & totius cleri depopulationes, fluctuant hi qui modicæ ſunt fidei, ambigua eſt fides. Epiſcopi ex ſola calumnia rapti ſunt, & nulla probatione criminum inducta ſupplicijs tradūtur. qui grauiores blaſphemias protulit ad populi epiſcopū, potior habetur: hæc & cætera ille. quæ vitia, & alia preter hęc quomodo hodie regnēt, notius eſt, quàm vt à me dici poſsit. Horū autem malorum cauſa & caput fuit libertatis fucus ab iſtis prædicatus. Libertas enī

Libertas Chriſtiana in quibus cōſiſtit. Chriſtiana beneficio Chriſti collata, in quinque rebus potiſsimùm conſiſtit: primò, quòd paſsione eius liberati ſumus à

1\. peccatis & reatu eorum. Ipſe enim (ait angelus de Chriſto) ſaluum faciet populum

Luc.1. Roma.8.2. ſuum à peccatis eorum. Et Paulus: Nihil ergo damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Secundò à tyrannidè concupi-

2\. ſcentiæ & fomitis intus in nobis habitan-

Rom.7. tis, de quo Apoſtolus: Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per

3\. Ieſum Chriſtum. Tertiò, à tyrannide diaboli & mundi & irritamentis eius, iuxta il

Ioan.12. lud Chriſti: Nunc iudicium eſt mundi, nūc princeps mundi huius eijcietur forás. Et

alibi:

alibi: Confidite, quia ego vici mundum. *Ioan.16.*
Poſt Chriſti enim gratiam non iam irrumpit in fideles tãquàm tyrannus, ſed tanquã *Aug. ſer. 7. de tempore.*
malignus veterator, alliciens potius quàm impellens. quartò, à iugo legis Moſaicę & 4.
circuncisione, quantum ad cæremonialia, & iudicialia. qua de re paſsim in literis ſacris extant teſtimonia. quintò, omnes fe- 5.
rè renatos à legis moralis dominio, ne ſcilicet ipſa quaſi cogens & prædominans, & nos coacti agamus, quod ipſa agendũ præcipit, ſed ex amore & voluntariè. Dicit e- *Gal. 5.*
nim Apoſtolus, Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. quibus verbis innuit, eos quos afflauit chriſtiana charitas, non eſſe obnoxios legi, eò quòd plus præſtant ſuapte ſponte quàm lex metu pœnæ poſsit extorquere, vt Paulino dogmati dictũ A- *Eraſ. Rat.*
riſtotelis ſit conſentaneum, qui rogatus à quodam, quid fructus ſua illi philoſophia attuliſſet, Vt ea (inquit) ſpontè faciam, quæ pleriq; legum metu coacti faciunt: in quam ſentẽtiam & illud dictum, Iuſto nõ *1. Tim. 1.*
eſt lex poſita. Hac igitur libertate quintuplici beneficio Chriſti donati ſunt Chriſtiani. Non autem vt liberi ſint à ſeruitute iuſtitiæ. Id quod Paulus apertè docet. Cũ enim indicaſſet Galatis, eos liberos

eſſe

esse ab oneribus Mosaicæ legis, cauens ne sibi licentiam desumerent, & occasionem in libertatem carnis, nec legi charitatis deseruirent, & præceptis Dei moralibus, inquit: Vos in libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Omnis enim lex in vno sermone completur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. In quam sententiam dixit & Petrus: Quasi liberi & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate. Perbellè ille mores hæreticorum nostræ tempestatis expressit. Illi enim euãgelicæ libertatis prętextu ac velamine, omnem eneruant ecclesiasticam potestatem & doctrinam. Idq́; contra euidentissima sacræ scripturæ testimonia. Si Ecclesiam non audierit (inquit Christus) sit tibi tanquam ethnicus & publicanus: vbi, vt antè ostendi, de visibili Ecclesia Christum dixisse sentiendum est. Huc pertinet & illud, Super Cathedram Moysis sedēt scribæ & pharisæi, omnia ergo quæcunq; vos iusserint seruare, seruate, & facite: secundum verò opera eorum nolite facere. Et Paulus, Obe-

Galat. 5. *Expende verba Pauli & Petri.* *1. Pet. 2.* *Mores hæreticorum eius seculi.* *Potestas Ecclesiæ.* *Matt. 18.* *Matt. 23.* *Hebr. 13.*

Obedite prępositis vestris,&subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem red dituri pro animabus vestris. Et Actuum 16, scribitur, quòd Paulus & Syllas tradebant fratribus custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis. In veteri verò lege, qui hanc obedientiam præstare nolebant, sacerdotis imperio, qui illo tempore ministrabat, neci dabantur. Porrò præsides Ecclesiæ non solùm dispensationis verbi Dei (veluti quidam non rectè opinantur) potestatem habere putandi sunt, sed & aliam, vt coercendi & excommunicandi. Quorsum enim Paulus fornicarium illum Corinthium excommunicasset? Quorsum Alexandrum & Hymenæum Satanæ tradidisset? Quorsum ad Corinthios scribens diceret: Hæc absens scribo, vt non præsens duriùs agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi? Hāc potestatem se habere Paulus euidenti signo ostendit, cùm Elymam magum auertere volētem à fide Sergium, cæcitate percussisset. Petrus item, cùm in Saphiram & Ananiam spiritui sancto mentientem sen tentiam dixisset. Quòd si competit Ecclesiæ potestas coercendi, & potestas iuris dicendi illi deesse non potest. Ac si quæstiones

Deut. 13.

Potestas præsidum Ecclesiæ.

1. Cor. 5.

1. Tim. 1.

2. Cor. 3.

Act. 13.

Act. 5.

Potestas iuris dicendi.

nes dubiæ oriantur in Ecclesia, habet illa potestatem iudicandi de ijsdem atq; decernendi, idq; per Synodum. Et quod hęc in spiritu sancto legitimè congregata decernit, Spiritus ipse sanct' decernere videtur, iuxta illud Conciliũ Apostolorũ, Visum est Spiritui sancto & nobis. quem morem semper obseruauit Ecclesia de quæstionibus sententiam in Cõcilijs ferendo.

Quæstiones dubiæ ab Ecclesia discutiendæ.

Act. 15.

Ex prædicto Concilio Apostolico liquet, esse penes Ecclesiam potestatem constituendorum canonum, ad vtilitatem & ædificationem Ecclesiæ, non ad destructioné. quod ex dictis Pauli colligitur ad Titum: Huius rei gratia (inquit Paulus) reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. In summa, duplex potestas Ecclesiæ esse comperitur, ordinis & iurisdictionis. quarum altera continet ministerium verbi Dei, administrationẽ sacramentorum, ecclesiarumque ordinationem ad ædificationem: Altera potestatem excommunicandi & coercendi. Hanc potestatem duplicem Ecclesiæ à Christo traditam, verba Christi indicant, Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorũ remiseritis peccata, remit-

Canones.

1. Tit. 1.

Potestas Ecclesiæ duplex.

Ioan. 20.

remittuntur eis. Item, Euntes docete o- mnes gentes, baptizantes eos. Item, Hoc facite in meam commemorationem. Et illud, Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Ab Apostolis deinde perpetua successione Ecclesia Catholica habuit, & nunc habet hanc potestatem, idque cum signo impositionis manuum, & cæteris ritibus competentibus. Vnde illud Apostoli, Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Item illud: Manus nemini citò imposueris. Hæc autem gratia non ex dignitate pendet ministrorum, sed ex mandato & ordinatione diuina. Id quod inter cætera manifestum est ex Paulo. qui contrà ad Corinthios clamat, quòd æstimarūt gratiam baptismi à ministris, dicētes, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, quasi diuisus esset Christus, vel Paulus, vel Apollo pro illis crucifixi, aut in nomine Pauli, & non potius Christi baptizati essent. Cùm igitur à Christo non tātùm doctrinâ, verùm & opere, quasi per manus tradita nobis est

Matt. vlt. *Luc. 22.* *Matt. 16.* *Potestas Ecclesiæ à Christo per successionem.* *1. Tit. 4.* *Gratia non ex dignitate ministrorum pendet.* *1. Cor. 1.*

Ecclesiastica ordinatio, qui hanc contemnunt, nescio cuius ordinatione possint habere verbi diuini, & sacramentorum ministros. A Catholica enim Ecclesia, in qua solùm est hæc successio, se segregarunt, Eò libertas ista brutalis perduxit plurimos huius seculi doctores, vt rectam ministrorum vocationem & ordinationem à sequacibus suis excluserint, & alia plurima mala inuexerint. Ob quæ maxima ex parte talia perpessi sunt, qualibus olim Iudæos afflictos Tobias testatur: Quoniam nō obediuimus (inquit) præceptis tuis, ideò traditi sumus in direptionem, & captiuitatem ad mortem, & in fabulam, & in improperium, omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. His calamitatibus etiā hisce temporibus videmus Iudæos premi. Neq; tamen commouemur. Quin & Christianos. Quis enim nesciat Asiam, Africam, Græciam, (in quibus olim horrendæ hæreses & blasphemiæ fuerunt) nunc sub grauissimo Turcarum iugo gemere? Olim Iudæis terram promissionis ingressuris, expectauit Deus, vt iniquitates populorum illam inhabitantium complerentur. Non mirum est igitur, si nos multa perpetrantes, non mox puniat, præsertim cùm benignitate

Iren. libr. 3. cap. 3.

Pœna Iudæorum.

Tob. 3.

Longanimitas Dei.

Gen. 15.

Rom. 2.

nignitate sua plerumq; ad pœnitentiã inuitare soleat. quòd si peccata peccatis cumulauerimus, verendum est, ne, cùm ad mensuram soli Deo cognitã peruenerint, illa quæ gentibus à Iudæis pulsis acciderant, nos etiam cum summa calamitate nostra experiamur. Iudicium enim à domo Dei, dicẽte Petro, incipiendum est. Dederunt aliquãdo operã nostro seculo Christiani principes, vt hæc disidia aliquo modo, sine offensione pietatis componerentur, indictis ob eam rem aliquoties cõuentibus, in quib⁹ à ternis vtrinq; theologis, Christianæ legis veritas indagabatᷓ, alternis diebus illi dixerunt & responderunt, præsidentibus quibusdam ad id delectis, nihil tamen profuere. Doctores enim isti, luce veritatis in arctum compulsi, illam simulare potius superbè malebant, quàm ingenuè confiteri. quorum etiam vela inexorabili peruicacia, & ferocis ingenij spiritu inflabant principes quidam, qui posteà eius facti Deo pœnas luerunt. Extant disputationes doctisimorũ virorum aduersus hæc dogmata typis excussæ: eas tamen isti cæco errore obdurati, & longa impunitate corroborati negligunt, aliasque disputationes de religione instituunt, an

1. Petri 4.

Cõuentus ob cõponenda dissidia Augustæ, ac deinde Ratisbonæ.

Ioui. 2. tom.

Doctores ac principes quidam notantur.

Disputationes quorundam.

zelo religionis, nescio. Et vt maximè religionis, videant, ne is zelo Iudæorum similis sit, de quibus Paulus: Zelum quidem Dei habent, sed non secundum scientiam. Quoniam autem illi optimè docent, qui causas rerum ostendunt, proinde operæpretium erit, si paucis causas hæresium enarrem. Harum (vt docti tradunt) sunt præcipuè, partim error mētis, prauitasq́ue iudicij, partim philautia, hoc est, amor sui, omnium malorū fons & origo, atque adeò vt Augustinus dicit, referente Alfonso Viruesio, Balbylonis ciuitatem & regnum diaboli constituens, quemadmodū charitas, quod omnium parens sit regnū Christi efficit, de qua Paulus: Scientia inflat, charitas ædificat. Proinde Paulus in catalogo prædicto vitiorum quæ futura inter Christianos postremis temporibus vaticinatur, ab amore proprio ceu ab vniuersorū capite incipit, & in amorem voluptatum desinit, quas ethnici philosophi escam malorum esse dixerunt. qui enim amore sui plus æquo laborat, hic facilè alios contemnit, æmulatur, præ alijsq; videri vult, atque ita noua dogmata facilè spargit. Philautiæ subijcit ea causa hæresium, quam D. Cyprianus martyr

Rom.10.

Zelus non secundum scientiam.

Causæ hæresium.

Philautia.

1. Cor. 8.

Epistola 3.

tyr ponit: Neq; aliũde (inquit) hęreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei nõ obtemperat̃, Nec vnus in Ecclesia ad tẽpus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragiũ, post coëpiscoporũ consensum iudicẽ se iam nõ Episcopi, sed Dei faceret: nemo disidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placẽs ac tumẽs seorsum foris nouã hæresim cõderet. Nisi si ita est, aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mẽtis, vt putet sine Dei iudicio fieri sacerdotẽ, cùm Dominus in Euangelio suo dicat: Nónne duo passeres asse væneunt, & neuter eorum cadit in terram sine voluntate patris vestri. Cùm ille nec minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis summa & magna aut nõ sciente, aut nõ permittente Deo in Ecclesia Dei fieri? & sacerdotes, id est, dispensatores eius, non de eius sententia ordinari? hoc est fidem nõ habere qua viuimus, hoc est, Deo honorẽ non dare, cuius nutu & arbitrio regi & gubernari omnia scimus &

Causæ hæresium secundũ Cyprianum martyrem.

Matth. 10.

Cyp.epist.9. libro 4. credimus. hæc ille. quæ verba velim ab istis altamente reponi. Videre est in arboribus, & his quibus anima vegetatiua inest, folia, frondes, truncum, radices, ad vnam radicem ferri: inter animantia rationis expertia, & ea quæ ratione prædita sunt, vnum solere præesse. In Ecclesia verò, in qua omnia honestè & secundum ordinem Paulus fieri vult, vnusquisque pro suo arbitrio viuet? Sed quis hic ordo erit? quin & in veteri lege, rebus, de quibus iudicare minoris notæ iudices non possent, pontificem Deus præesse mandauerat, cuius imperio qui superbiens obedire nolebat, ex decreto iudicis moriebatur. Sed quid opus est verbis? cùm Christus id debere fieri ostendit cùm præsentibus cæteris Apostolis, Petro se claues regni cœlorum daturum pollicitus est, Ecclesiamq; suam super illum ędificaturum. Præterea cùm post resurrectionem suam illi gregem suum pascendum cõmisit, par quidem fuit authoritas prędicandi, baptizandi, & absoluendi Petro cum cæteris Apostolis, penes vnum tamẽ erat principatus ad declarandã vnitatẽ Ecclesiæ, vt beatus Cyprianus docet. quamuis autẽ Christum esse caput & fundamentum Ecclesiæ mini-

Principatus vnius in triplici gradu viuentium.

1. Cor. 14.

Deute. 17.

Authoritas pontificis in veteri lege.

Christus in Ecclesia voluit vnum præesse.

Marci 16.

Cyp. tra. 8. de sim. præl.

Solutio obiectionis.

minimè negādum, iuxta illud Pauli: Fundamētum nemo poteſt aliud ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Item, Chriſtum Deus pater dedit caput ſupra omnem Eccleſiam. Tamē ob id non negandum eſt, Petrum fuiſſe caput Eccleſiæ miniſteriale, vt vocāt, ſupraque eum ædificatam Eccleſiam, quatenus & ille in Chriſto fundatus & virtute eius ſolidatus eſt. Ita verba Chriſti, ſuper Petrum ſcilicet ædificatam Eccleſiam, interpretatur Tertullianus, qui vicinus vixit Apoſtolorum temporibus, libro aduerſus hæreticos: cum eo ſentiunt Chryſoſt. homilia 55. in Matth. vbi idem nominat Petrum os apoſtolorum, & verticē conſortij totius: Cyprianus martyr epiſtola 3. & in alijs locis: Orig. qui fundamentum Eccleſiæ Petrum vocat: D. Amb. ſerm. 47. de fide Petri. qui etiam ait, Petrum primū fuiſſe inter Apoſtolos, cui Saluator delegauerat curā Eccleſiarum. quod & ipſe Petrus apertiſsimè de ſe teſtaẽ, cùm diceret: Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meū audire gentes verbū Euangelij. Eius principatus in actibus Apoſtolorum non pauca extāt exempla. Quòd ſi Chriſtus lux eſt

1. Cor. 3. *Ephe. 4.* *Petrus caput Eccleſiæ.* *Tertullian.* *Chryſoſt.* *Cyprianus.* *Origenes.* *Ambroſius.* *Act. 15.* *Vide teſtimonium Petri de ſeipſo.* *Ioan. 8.*

est mundi, vt ipse de se testatur, tamẽ Apostolos eo cognomine ipse dignat̃: Vos (inquit) estis lux mundi: & quod tibi minus conueniẽs videtur, Deum vnũ esse, nemo est qui nesciat, nihilo minus homines in scripturis dij appellant̃. Ego dixi, dij estis: quomodo igitur absurdũ & impiũ esse dici poterit, sentire Petrũ caput & fundamẽtum Ecclesię, maximè, si hoc intelligat̃ diuersa ratione, sicut & illa de Christo & Apostolis, de Deo & hominibus. Si tibi fastu tumẽti indignũ videtur super Petrum ædificatã Ecclesiam, cur nõ eadẽ ratione & de clauibus regni cęlorũ illi datis intelligis? quas tamẽ illi dandas Christus manifestissimè dicit. Cùm igitur in Ecclesia, vt antè ostẽdi, vnitas & ordo esse debet, ad eamq́; requirit̃ præsidentia vnius superioris, quam ex veteri & nouo testamẽto esse ostendi: cõstat in Ecclesia vnũ debere esse summũ Episcopum, præsertim cùm scriptura maximè noui testamẽti ad hæc tempora etiã referatur, vt quod in capite præcessit, in membris sequatur. Est aũt is (loquant̃ isti quicquid velint, ingeminẽt cachinnos) Romanus pontifex successor B. Petri principis Apostolorũ. Qua de re Irenæus auditor Polycarpi Ioan. Euãgelistæ disci

Christus lux mundi, Apostolos lucem mundi esse dixit.
Matth. 5.
Psalm. 81.
Ioan. 10.

Si Petro concedis claues regni cælorũ, cur super illũ Ecclesiam ædificatã non fateris?

Rom. Pontifex successor beati Petri, quod probatur grauissi-

discipuli ad eum modum scriptũ reliquit, de episcoporũ ab apostolis succesiõe scribens: Maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & cõstitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annũciatam hominibus fidem per succesiones episcoporum peruenientem vsq; ad nos, indicantes cõfundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam scientiam præterquàm oportet colligũt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorẽ principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndiq; fideles, in qua semper ab his qui sunt vndiq; conseruata ea quæ est ab Apostolis traditio. hæc ille. Cui & Tertullianus subscribit: Habes Romam (inquit) vnde nobis quoque authoritas præsto est, felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur. Cyprianus quoque martyr Romam matricem & radicem Catholicæ Ecclesiæ appellans, affirmãs itẽ Romani Episcopi locũ, Petri locũ esse. Nec dissentit ab his D. Hieronymus

morũ & vetustißimorũ authorum testimonijs.

Iren. *libr.* 3. *cap.* 3. *cõtra hæreses.*

Ecclesia Romana.

Tertul li. aduersus hæreses.

Romana Ecclesia.

Cyp. libr. 4. *epistola* 8.

Hieronymus

ad Damaſum ſcribens : Beatudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Iſtuc ipſum agnouit concilium Nicænum, in quo Arrius damnatus eſt. Florentinum item, cui interſuere etiã Græci, Armeni, Rutheni. Nec refert, quòd nõ omnes ei aſſenſerunt. Nam & in concilio Nicæno decem & ſeptem epiſcopi fuerant quibus Arrij fides magis placebat, extrinſecus ſcilicet creatum Dei filium, non ex ipſa patris deitate progenitum. Habet autem epiſcopus Romanus cum cæteris epiſcopis parem poteſtatem ordinis (de qua paulò antè dixi) Iuriſdictionis verò maiorem. Cumque ſinguli epiſcopi ſibi aſſignatos greges habeãt, huic vniuerſi ſunt crediti: veluti cùm paterfamilias ſeruis quidpiam pluribus faciundum demãdat, vni tamen ex eis poteſtatem dat, vt in alios inſpiciens, ad ſuam functionem (ſi fortè ceſſent) eos reuocet, ac ꝓſpiciat, ne quid detrimenti patrifamilias eueniat. Ad eum modum dicta Hieronymi intelligenda ſunt, pontificem ſcilicet Romanum quo ad poteſtatem ordinis, eſſe parem, cùm diceret, Epiſcopum ſiue Romæ ſiue Engubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Alexãdriæ, ſiue

Conciliũ Nicænũ & Florentinum.

Solutio obiectionis.

Arrii fides.

Qualis poteſtas epiſcopi Romani.

Exemplum.

Hierony. ad Euag.

Expoſitio dictorum Hierony.

ſiue vbicunque exiſtentem, eiuſdem eſſe meriti, eiuſdem ſacerdotij. Alioqui ipſe Hieronymus ad Damaſum ſcribens ipſe ſibi contrarius eſſet. Porrò huius ſeculi ho *In eos qui* mines plurimi non tam commutãdarum *execrantur* rerum, quàm euertendarum cupidi, ſapi- *Pontificem* entes, ſed (quod Paulus damnat) non ad *Romanum.* ſobrietatem, quaſi ab illis (vt eiuſdem Pau li verbis vtar) verbum Dei proceſsiſſet, & *Rom.12.* in eos ſolos perueniſſet, alieni à ſapientia, quæ deſurſum eſt, pacifica, tractabilis, bo- nis conſentiens, vt Diuus Iacobus ait, eo- *Iacob.3.* rum omnium obliti, epiſcopum hunc a- gnoſcentes, eumq́; ipſum execrantur, ma- ledictis inceſſunt, interdum nec manibus quidem temperant. Quo quidem modo *Duplex pec-* dupliciter peccant. Primum, quòd princi *catũ proſcin* pi populi maledicunt. Id verò Deus fieri *dentium pon* vetat. Diuum Paulum aliquando pœni- *tificem.* *Exod.22.* tuit, quòd principi ſacerdotum impio, ſa- crilego & mandanti aſtãtibus, vt Paulum percuterent, dixiſſet, Percutiet te Deus pa *Act.23.* ries dealbate. Tu verò maiora his facere audebis? Michael archangelus, teſtante ſcri ptura diuina, cum diabolo conuitijs di- *Michael Ar-* gno de Moyſis corpore altercans, non *changelus.* auſus illum blaſphemare, tantùm dixit, *Iudas ap. in* Imperet tibi Deus. Iſti verò homines au- *epiſtola,* *2.Pet.2.*

thoritate ac dignitate valentes, legationeque, vt Paulus ait, pro Christo fungentes, maledictis proscindunt, blasphemant, ad nomen deniq; eorum spuunt. Christus tẽpore passionis ante pontificem alapa accepta nihil contumeliose dixit, sed innocẽtiam suam magis asseuerans & ostendens, Si malè (inquit) locutus sum, testimonium perhibe de malo: sin autem bene, quid me cædis? Tu verò homuncio diuersum facias? at Christus se tibi exemplum præbuit. Peccant deinde, quòd episcopos contra dispositionem & traditionem euãgelij habent. Nam vt beatus martyr Cyprianus ait: planè Episcopi non de voluntate Dei fiunt, qui extra Ecclesiam fiunt. Sicut ipse Dominus apud Oseam dicit, Sibimetipsi regem constituerunt, & non per me. Et iterum: Sacrificia eorum tanquàm panis luctus, omnes qui manducant ea contaminabuntur. Et per Esaiam spiritus sanctus clamat, Væ vobis filij desertores, dicit DOMINUS, habuistis consiliũ & non per me: & fecistis conuentionem, & non per spiritũ meũ. Sed & Christus in Euangelio nõ dissimilia his loquitur: qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui me spernit, spernit eum qui misit

2. Cor. 5. Christus. Ioan. 18. 2. Peccatum. Epist. 3. Oseæ 8. Esaiæ 30. Luc. 10.

misit me. Item illud sæpius repetitum, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Quid verò prædicta vitia cõmittentes, nisi resipuerint, maneat, notum est ex sequentibus. Maledici (inquit Paulus) regnũ Dei non possidebunt. Et Christus: Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Quid quod Core, Dothan, Abiron nõ diuersam religionẽ ab alijs secuti solũmodò aduersum Moysen & Aaron supbientes, seq; cũ sequacibus à cæteris Iudæis segregantes, omnes à terra absorpti, descenderunt viui in infernum operti humo. Nec est cur mores episcoporum, si qui fortè sunt improbi, in medium proferant, cùm propter peccata populi, teste Iob, sinit Dominus regnare hypocritam. Et apud Esaiam Deus ipse dicat: Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabũtur eis. Neq; ea quę gerunt pro officio suo, pendent ex dignitate eorũ, sed ordinatione diuina, vt antè ostensum est. Prophetauit Caiphas homo sacrilegus & scelestus, non ob aliud, nisi quòd esset põtifex anni illius. Et notũ est illud Christi antè repetitũ, Sup cathedrã Moysi sederũt Scribę & Pharisæi, quę ergo dicũt facite, quod aũt faciũt nolite facere.

Matt. 18. *1. Cor. 6.* *Matt. 5.* *Num. 16.* *Exemplũ Core, Dathan.* *Solutio obiectiõis de moribus Episcoporum.* *Iob. 35.* *Esa. 5.* *Caiphas.* *Ioan. 11.* *Matt. 23.*

Quan-

Quanquàm nec pontifici aut cardinalibus credendum esset, si aliter nobis scripturas interpretarentur, atq; ab Apostolis & apostolicis viris sunt olim expositæ.

August. epistola 137. *Nota praeceptum Augustini.*

Proinde Augustinus monuit olim suos, ne hæreticis Donatistis crimina obijcerent, nisi quòd non essent Catholici, ne similes sint eis: qui (inquit) non habentes quod in causa suæ diuisionis defendant, hominum crimina colligere affectãt. Vos autem (ait) non ita didicistis Christum, si tamẽ illum audistis, & in illo edocti estis, quippe qui fideles suos securos fecit, etiã de dispensatoribus malis, mala sua facientibus, & bona eius loquentibus, cùm ait: Quæcunq; vobis dixerint facite. Idemq́;

Constitutio pontificis.

(referente Alfonso Viruesio) Ecclesiam fecisse iudicat quicquid pontifices & Episcopi, cæteris Christianis non refragantibus, faciunt. Et hinc assumit potissimum medium argumentationis contra Dona-

Donatistæ.

tistas, qui Ecclesiam Christi de toto orbe vbi futura promissa est, perijsse affirmarũt, & in Africa Donati parte remansisse. Quod verò isti nescio quę diplomata pontificis proferunt. Ego ista inscio etiam põ-

Refelluntur obiectiones quædam.

tifice (vt fit) à stultis lucri gratia stulta petentibus dari credo. Veluti & alia quædam

partim

partim calumnia dici, partim etiam quæ his inepta videntur, ea à doctis aliter iudicari. Nec mirum. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum, vt Paulus ait. Cùm igitur hoc seculo (vt eò se referat vnde digressa est oratio) tanta & tam detestanda fiant, nemo opinor negauerit, maiora esse hæc vitia illis quæ prioribus seculis fuere. In his igitur nos quid inflati erimus? At hoc olim Paulus in Corinthijs damnauit. Quin potius eodem suadente luctum habeamus. Sed quę lamentatio his calamitatibus digna esse posit? Qui fontes lachrimarum tantis malis suffecerint? Itaque quod secundo loco propositum fuerat videamus, quid in tantis sceleribus, tamque diuersissimis dogmatibus homini agendum sequendumq; sit. quod vitia sceleraq; attinet, nemo est adeò impudēs atque impius, vt magis putet sibi consiliū sequendum eorum, qui libertatem euangelicam dant in occasionem carnis, quàm Christi, cui pater cœlitùs voce emissa dedit authoritatem docendorum hominū, cùm diceret: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite. Introite per arctā portam (inquit ille) quoniam lata & spaciosa via, quæ abducit in ex-

1. Cor. 3.

1. Cor. 5.

Quid agendum in tantis vitiis.

Altera pars orationis.

Christi præceptum sequendum.

Matt. 17.

Matth. 7.

in exitium, multiq́ue ſunt qui ingrediuntur per illam, quoniam anguſta eſt porta & ſtricta via, quæ abducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt illam. Pauli item do-

Rom.13. ctoris gentium, Abijciamus (ait) opera te-

Pauli præceptum. nebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus, non in cõmeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, nõ in contentione & æmulatione, ſed induamus Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curã ne faciamus

Rom.6. in deſiderijs. Sicut exhibuimus membra noſtra ſeruire immundiciæ & iniquitati, ita nunc exhibeamus membra noſtra ſeruire in iuſtificationem. Stipẽdia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in

Quid ſequendum in diuerſis dogmatibus. Chriſto Ieſu Domino noſtro. Cæterũ inter tot religionis Chriſtianæ dogmata, eademq́; diuerſa, quæ infirmioribus ancipitem cogitandi curam afferũt, ijſq́; animus illorum quaſi diſtrahitur, quid ſequendũ

Opinio quorundam. eſt? Non deſunt qui ad Dei verbum veluti ad ſacram anchoram (quod aiunt) confugiendum cenſeant. Ego certè verbum Dei tanti facio, quanti & illi, illudq́ue perinde atq; illi credo manſurũ in æternũ. Cæterũ

Exemplum. vbi vnũ & idẽ verbũ variè interpretantur multi, quid agendũ? q̃s erit iudex ei9 litis?

vt verbi

vt verbi cauſa verbum Dei eſt, Hoc eſt cor pus meum, quod pro vobis tradetur. Hæc verba Chriſti quidā hoc modo intelligũt, vt ſubſtātia panis materialis & vini manerent in ſacramēto altaris, hoc eſt, vt ſimul ſit veraciter panis & caro Chriſti vinum & ſanguis, quæ opinio fuerat Viclefi, quā & recentiores ſequuntur. Alij cōtrà aſſerũt, nō eſſe verũ corpus Domini, ſed ſignũ cor poris eius. Eius erroris author fuerat Berēgarius anno ab hinc 516. quem poſtea reuocauerat. Hunc deinde errorem renouarunt recentiores, de qua re cùm aliquādo in conuentione Martburgenſi diſputarēt viri octo à ſuis velut lumina habiti, poſt diſputationem redditi incertiores, hæc inter cætera prodidere, vt refert Ioannes à Lasko in libello à ſe in lucem edito, vbi germanicè & latinè hæc verba habentur: Quanquā inter nos hactenus nō planè potuit conuenire, num verum corpus & ver' ſanguis Chriſti pani & vino corporaliter inſit, debebit tamen nihilominus vtraq; pars altera erga alteram declarare Chriſtianā charitatē, quatenus id omninò cōſcientia cuiuſq; ferre poteſt, & vtraq; pars Deũ optimum maximum diligenter precabit, vt is per ſpiritũ ſuũ, verũ eius rei intellectũ

Luc. 22.

Diuerſæ expoſitiones verbi Dei.

Viclefus.

Berengarius

Conuentio Martburgenſis, in qua diſputatum de religione.

Nota verba Doctorum.

constabilire dignetur. Vides ista luminà de vno & eodem verbo diuersa sentire, sic & alia plurima sacræ scripturæ loca variè ab illis exponi solent. Quo fit, vt verbo Dei, quod omnis controuersiæ iudicem faciunt, dignosci non posit, qui nam istorum veram habeant ecclesiam, vt si qui fortè sint quibus nostra displiceant, illis accedere posit. Nam de illius interpretatione est inter illos altercatio. Apud vtrosque autem, vel apud omnes (in plurimas enim sectas distrahuntur) simul ecclesiam esse impossibile est, quippe quæ vna sit. Illi autem alteri ab alteris non modò pro hæreticis, verùm pro furiosis, & rursus alij ab alijs pro idololatris vicissim habētur, omnes tamen iactant euangelium, eo insultant sibimet & nobis. Quo quidē morbo, vt antè dictum est, laborabant semper hæretici Qui etiam morbus Arrianorum tempore, totum ferè orbem infecerat. Videre igitur licet ex hoc euidentissimo exemplo, in varijs dogmatibus non satis esse solùm ad scripturam diuinam recurrere. Quid igitur faciendum? hærendum in ambiguo? at istud non est credere, sed diffidere, idque non sine maximo malo, damnatione scilicet æterna, quorsum igitur, aut quousque

Hæretici verbo Dei, quod diuerse interpretantur, nō possunt ostendere Ecclesiam.

Morbus hæreticorum.

quousq; progredietur tam perplexa contentio ? Catholici & Orthodoxi nullum aliud perfugium in dirimendis litibus de negotio religionis agnoscunt, quàm Ecclesiam Catholicam, quæ nobis etiam diuinam scripturam tradidit, eiusq́; intelligendæ lumen habet, vt Deus apertè apud Esaiam testatur: Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodò in sempiternum. quomodo enim verè dici posit Ecclesia columna & firmamentum veritatis, si in controuersia, & dissensione dogmatum vacillaret, nesciens, quid esset & fugiendum aut acceptandum? Quorsum enim illi promissus fuisset Spiritus sanctus? Filius item Dei dixisset, se permansurum cum ea ad consumationẽ seculi. Qua de re antè à nobis dictum est. Quæ per Deum lex aut secta leuior esset Christianorũ lege, si cuiuis liceat impunè proprio illam accõmodare sensui, & quicquid sibi visum fuerit, nõ de spiritus sancti (qui nemini vnquam post Apostolos priuato homini promissus est) arcano thesauro, sed de proprij cordis abysso, velut oraculum proferre ? Ad

Tertullia. de præs. aduersus hæret.

Ad Ecclesi*am catholicam cõfugiendũ in dubiis.*

Esa. 59.

1. Tim. 3.

Ecclesia *firmamentũ veritatis.*

Ioan. 14.

Matth. vlt.

quid dixiſſet Chriſtus? Si Eccleſiam nõ au
Matth. 18. dierit, ſit tibi tanquã ethnicus & publica-
2.*Theſſ.*3. nus. Et Paulus: Denũciamus vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & nõ ſecundum traditionem quam accceperunt à nobis: & alia his ſimi-
*Act.*1. 6.15. 21.26. lia. Cur Apoſtoli (vt eſt in Actibus apoſtolicis) in vnum collecti de rebus conſtituendis conſultarunt. Quòd ſi in quæſtionibus religionis vnius, & nõ Eccleſiæ Ca-
Errores quorundam. tholicę iudicio ſtandum eſſet, hac ratione certè non improbandus eſſet error Arrij, Chriſtum eſſe creaturam aſſerentis, quod damnauit Concilium Nicænum: Macedonij item negantis, Spiritum ſanctum eſſe Deum, cuius dogma in Concilio primo Conſtantinopolitano cõfutatum eſt: Neſtorij quoq; hæreſis affirmantis in Chriſto duas perſonas, in Concilio Epheſino damnata. At pars non eſt totum. Prætereà illi credere, qui nemini præter ſe credit, quo iure tenetur orbis. Authoritatem Eccleſiæ Catholicę in dubijs religionis Chriſtianæ ſequendam & iſti fatentur, toties
Conciliũ inclamantes. Concilium inclamãtes. Quamuis interim ſibi non conſtantes contra Concilia faciant, quamobrem temporibus noſtris prin

cipe

cipe quodam à doctoribus quibusdã po- scente, vt de scriptis doctoris sui (in cuius ille verba ferè iurarat) iudiciũ ferrẽt (nam ab alijs improbatũ fuerat) synodiceq́; cõstituerẽt, quid ea in re tenendũ sit, negarunt illi se facturos, nisi priùs docti ex toto orbe Christiano conuenirent, ne eo pacto factum illorũ in malum exẽplum traheret, quò vnusquisq; pro arbitrio suo dogmata in religione confingeret. Eius rei (ne scilicet ab Ecclesia Catholica deficiant) admonent Christiani tẽplis ad formã corporis humani extructis, in quibus cernere est, quasdã partes angustiores, caput: quasdã item latiores, humeros, & reliquũ corpus referentes. Nimirũ vt credant fideles, se esse mẽbra corporis mystici vnius, quæ est Ecclesia, hoc est cætus fidelium, cuius caput est Christus. Ea re igitur, vbi morté oppetierint, in cæmiterijs ad tẽpla corpora illorum sepeliũtur. Sed quanam ratione ille mẽbrum corporis mystici cẽsendus est, qui ab ea seipsum subducit? diuersumq́; ab ea credit? Iam cùm in symbolo ꝓfitemur nos Ecclesiam Catholicã credere, an nõ eius authoritatẽ seq velle nos fatemur? alioq quomodo crederet illud, cui' authoritas negligit. In tãta igit asser-

De principe quodam.

Forma templorum.

Ephes. 4.

1. Cor. 10.

tionum varietate, ad Ecclesiam Catholicam confugiendum est, quæ iudex est omnium contentionum: hæc hæresibus cunctis processu temporum euanescentibus, inter hæreticorum turbines, & malorum Christianorum alluuiones permanet & in æternū permanebit, vtpotè aduersus quā neutra inferorū porta nec erroris, nec iniquitatis præualere potest. Qua de re Tertullianus vicinus temporibus Apostolorum, ad eum modū inter cætera scriptum reliquit in libro de præscriptionibus aduersus hæreticos. Constat omnem doctrinam, quæ cū illis Ecclesijs apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesię ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit, reliquā verò omnem doctrinā de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarū & Apostolorū & Christi & Dei. hęc ille. Qui etiam ibidem affirmat, veritatem dogmatū manifestari ex origine Ecclesiarum, & ordine Episcoporum, ita per successiones decurrente, vt primus ille Episcopus aliquo modo ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit autorē vel antecesso-

Ecclesia catholica.

Tertull.

Tertulliani verba expende.

cessoré,quod apud hæreticos nõ est.Huic subscribit Irenæus in loco paulò antè citato,& ca.4. li.3.aduersus hæreses: Quæ autẽ (inquit) sunt Ecclesiæ, cum magna diligẽtia diligere & apprehẽdere veritatis traditionẽ. quid em̃ etsi de aliqua modica quęstione disceptatio esset, nónne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quib9 Apostoli cõuersati sunt, & ab eis de pręsenti quæstione sumere, quod certũ & re liquidum est? quid aũt, si neq; Apostoli quidẽ scripturas reliquissent nobis, nónne oportebat ordinẽ sequi traditiõis, quã tradiderũt ijs, quibus cõmittebant Ecclesias? cui ordinationi assentiũt multæ gentes barbarorũ eorum, qui in Christum credant, sine atramẽto scriptum habẽtes per spiritũ in cordibus suis salutẽ, & veterem traditionẽ diligenter custodiẽtes. hæc ille scriptor vetustissimus, qui cap.3. lib.3. dicit, se Polycarpum auditorẽ beati Ioannis Euangelistæ vidisse. Nec dissentit ab ijs D. Augustinus: Palàm (inquit) est, quòd in re dubia ad fidem & certitudinem valeat authoritas Ecclesię, quæ ab ipsis fundatissimis Apostolorũ sedibus vsq; in hodiernum diẽ durans, succedentiũ sibi tot Episcoporũ serie, & populorum consensione

Idem lib. 4. ca.43.& 63.

Nota verba Irenæi.

Aug. contra Man.

firmatur. Huc pertinet illud ſymboli in Concilio Cõſtantinopolitano, cõtra Macedoniũ congregato editi: Credimus Eccleſiam apoſtolicã & catholicã, &c. Apoſtolica ſiquidẽ dicitᷣ Eccleſia, quòd Spiritus ſanctus remittens peccata, nõ alibi reſidet, quàm apud Eccleſiam apoſtolicã, ab Apoſtolis per ſucceſsiones cõtinuatas procedentem, quibus Apoſtolis dictum eſt, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Catholica, id eſt, vniuerſalis, hoc eſt, per omnia loca & tempora diffuſa, & per Apoſtolos eorumq́; ſucceſſores cõtinuata vſq; ad nos, propagataq́; vſq; ad fines terrę, iuxta illud: Eritis mihi teſtes in Hieruſalẽ, & in omni Iudæa & Samaria, & vſq; ad vltimum terræ. Hanc igitur Eccleſiam qui credit, iudicium in dubijs ab ea expetet, conſiliũ prędictum grauiſsimorũ & vetuſtiſsimorum virorũ ſecutus. quod aliquando Theodoſius Cæſar feciſſe legitur. Cùm em̃ vidiſſet animos hominum in varias partes hæreticorũ dogmatibus diſtrahi, huic malo occurrere volens, in animũ induxit, vt cum hæreticis diſceptatio inſtituereť, quod cõſiliũ Agelio Epiſcopo cõmunicauit, qui etſi alioqui bonus fuerat, rationẽ tamẽ ex

Symbolũ Cõſtãtinopolitanũ cõtra Macedonium.

Apoſtolica Eccleſia.

Ioan. 20.

Catholica Eccleſia.

Act. 1.

Factũ Theodoſii Cæſaris.

Lib. 9. trip. hiſt. cap. 18.

Agelius Epiſcopus.

ſcri-

ſcripturis reddere non valebat. Itaq; Siſinniū lectorem ſuum per ſe locuturum cōſtituerat. Is id conſilij dedit, hæreticos ſcilicet de antiquis Eccleſiæ doctoribus interrogandos, vt ſi eos non acceptarent, anathematizare auderent, quod durū videbatur: quòd ſi hoc non facerēt, à populo pellerentur: qua examinatione facta Theodoſius hæreticos expulit, ſoloſq́ue orthodoxos fouit. Sed de authoritate & conſuetudine Eccleſiæ maiorumq́; legibus recentiorum quorundam, eorumq́; doctiſsimorum ſententiam proferā, vt ſciatur quid in varietate ſequendū ſit. Ego verò (inquit Alfonſus Virueſius Epiſcopus Canarieñ. de varietate aſſertionū diſſerens) de his omnibus ita iudico, vt quæ ab vniuerſali Eccleſia perpetuò ſunt credita, & obſeruata, ea tanquā oracula diuina religioſe ſuſcipiam, & vniuerſis hæreticorum dogmatibus præferam. Nihil enim aliud, quàm hæretici mihi ſunt, quicunq; aduerſus hæc ſcribunt, aut docent. De conſuetudine Eccleſiæ quanti illam fecerit diuus Paulus, nos paulò antè diximus. Quæ verò (inquit idem) nouis ſunt inter Chriſtianos traditionib. exorta, ita vt nullo modo in ſacris literis anteà fuerint, illa ſi conciliorū aut pon-

Conſilium Siſinnii.

Recentiorū eorumq́; doctiſsimorum conſilium.

Alfonſus. Phil. 1.

Diuus Paulus quāti fecerit cōſuetudinem Eccleſiæ, antè dictum eſt.

pontificum ſint decreta, vt leges & placita Chriſtiana reipublicæ perquàm vtilia venerabundus ſuſcipiam. Quoties autem de diuinis aut humanis hiſce legibus alicubi fortaſsis ambigitur, optima mihi legum interpres eſt chriſtiani populi generatim recepta conſuetudo. Nam cæteræ omnes interpretationes, quas hæretici hactenus attulerunt, velut humana figmenta, & carnis tantùm prudentiæ innitentes marceſcunt & emoriuntur. Omnis namque caro fœnum, & quod natum eſt ex carne, caro eſt, cecidit fœnum, & quotidie cadit, quod etſi diu aliquoties durare videatur, tãdem areſcet. Verbum autem Domini manet in æternum. Cui verbo quantumuis illud ſibi omnes hæretici arrogent, ſola Eccleſia Catholica innititur. Huius rei ſignum eſt haud obſcurum, quòd hæreſibus cunctis proceſſu temporum euaneſcentibus, ſola Eccleſia Catholica inter hæreticorum turbines, & malorum chriſtianorum, quibus vterq; ordo ſatis abundat, alluuiones, permanet & in æternum permanebit, vtpote aduerſus quam neutra inferorum porta nec erroris nec iniquitatis præualere poteſt. De opinionibus verò quæ inter orthodoxos ſine fidei offenſione quotidie oriuntur

Conſuetudo populi Chriſtiani.

Interpretationes hæreticorum.

Eſa.40.

Sola Eccleſia Catholica verbo Dei innititur verè.

Sententia de Doctoribus ſine offenſiõe fidei inter ſe cõtendentibus.

oriuntur hæc dicit:Horum omnia, in quibus doctores ſibi mutuo aduerſantur, priuata mihi videntur & phantaſtica, vtrorumque frequenter commenta, ſemper tamen alterorum. quorum fortaſſe requiras illorum ſcilicet,qui magis à veterum doctrinis & traditionibus diſtant. Nam(mea quidem ſententia) ea tantùm ad intellectualem ſapientiam pertinent, aut propiùs accedũt, in quibus neotericis inuicem & cum veteribus conuenit. Hæc ille adijciens pluribus verbis antiquos ſanctos variaſſe interdum ſententijs, contendiſſe verò penè nunquam. Eraſmus verò Roterodamus in quadam epiſtola, & dialogo ſic loquitur:Pugnent qui volent,ego cenſeo leges maiorum reuerenter ſuſcipiendas, & obſeruandas religioſe,velut à Deo profectas,nec eſſe tutum,nec eſſe pium de poteſtate publica ſiniſtram ſerere aut concipere ſuſpicionem:&ſi quid eſt tyrannidis, quod tamen non cogat ad impietatem,ſatius eſt ferre,quàm ſeditioſe reluctari:hæc ille. Quod verò iſti queruntur, traditiões humanas ſuſcitari, cùm omnes aboleuerit gratia Chriſti. Reſpondet Alfonſus: duplici cauſa(inquit)Chriſtus abſtulit iugũ legis,quarum neutra cogit,vt nobis auferantur;

Era. Rotero. ſententia.

Solutio obiectionis de traditionibus.

Alf.phil.14.

tantur: Primò (vt prætermittam mysticas illas significationes, quæ Christo adueniente cessarunt) veteres Hebræorum ritus Deus ipse tradiderat, qui pondus quoddam diuinæ seueritatis præ se ferebant, atque adeò spiritum timoris potius quàm amoris gignebant affectum. Graue enim erat, & cui tolerando impares essent humanæ vires, illud subinde repetitum, Ego Dominus, hęc dicit Dominus, & similia. Nostros verò ritus Christus ipse tametsi verus homo non edidit, tantũ tradidit authoritatẽ Ecclesiæ, vt ipsa sibi præscriberet ritus, quib9 pietatẽ præstaret & religionem, qui ab hominibus instituti humanæ imbecillitatis rationem inprimis haberẽt, vt habent, essentq́; humana prouidẽtia & authoritate mutabiles. Prætereà veteris le his traditiones obsitæ erant præceptis & interminationibus, terribilesq́ue contestationes sæpius obtundebant, nisi mordicus seruarentur: nostræ verò traditiones nihil capitalis periculi afferunt transgressoribus, modò absit animus impius aut contemnens. In hac enim sententia sum, quamdiu Ecclesiæ non improbatur, cuius interim authores habeo grauissimos atque doctissimos: hæc ille. Qui huma-

Legis iugum duplici causa Christus abstulit.

Ritus Christianæ Ecclesiæ.

Traditiones Ecclesiæ non afferũt capitale periculũ transgressoribus, si absit animus impius.

humanas traditiones duplices esse ait: alteræ, quæ nihil nouum inducant, sed tantùm præscribunt tempus, locum & modũ, quorum quædam pietatis & religionis opera à Christo probata & instituta, aut si mauultis præcepta commodè & oportunè fiant. Alteræ verò, quæ nouum aliquem cultum aut ritum aliâs non præscriptum inducũt. Prioris generis exempla sunt ieiunium, preces, eleemosynæ, &c. Posterioris, vestitus varietas, qua aliter clerici simplices, aliter episcopi, aliter monachi, aliter seculares induuntur. Item varij ritus sacrorum, quibus aliter quadragesimæ tempore, aliter resurrectionis, aliter festis, aliter profestis diebus celebratur. hæc ille, & plura de traditionibus. Quam materiam latissimè tractauit Martinus Peresius Guidixiensium episcopus vir pius & doctus. Sed his absolutis signa Ecclesiæ veræ expẽdamus, nam hodie vbinã sit, à multis dubitatur. Ecclesiæ veræ signa in vniuersum sunt quatuor: vnum, doctrina sana verbi diuini, iuxta illud Christi, Oues meæ vocẽ meam audiunt. Iudicium autem doctrinæ sanæ, & interpretandi verbi diuini esse penes Ecclesiam, paulò antè ostensum est. Alterum signũ, rectus sacramentorũ vsus, de qui-

Humanæ traditiones duplices.

Martinus Peresius de traditionibus.

Signa Ecclesiæ veræ.

1.

Ioan. 10.

2.

de quibus in Scopo biblico noſtro diſſeruimus. Prædictis duobus ſignis Eccleſia Chriſtianorum diſtinguitur maximè à cœtibus ethnicorum, & Iudęorum, quorum vtriq; & ſana doctrina & ſacramentis noui teſtamenti carent.
3. Tertium ſignum, eſt vnitas quæ vinculo charitatis & pacis continetur, ac mẽbra Eccleſiæ conglutinat, vt non ſolũ quod perpetuus ſanctorum conſenſus ab Apoſtolis vſq; ad nos recepit, & approbauit, idem ſentiant, ſed etiam idem loquantur, monente Apoſtolo: Obſecro vos per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis oẽs, & nõ ſint in vobis ſchiſmata, ſitis aũt perfecti in eodẽ ſenſu, & in eadem ſententia. Et alibi: Vnum corpus, vnus ſpiritus, vnus Dominus, vna fides. Et charitatem Chriſtus ſuorum diſcipulorũ ſignum eſſe dixit: In hoc cognoſceant oẽs, quia diſcipuli mei eſtis, ſi charitatem habueritis inter vos.

1. Cor. 1. *Ephe. 4.* *Ioan. 11.*

4. Quartũ ſignũ Eccleſiæ veræ eſt, quòd ſit Catholica, hoc eſt, vniuerſalis, quæ vniuerſalitas referẽda eſt ad tempora & loca. Tempora quidem, quia ex omnibus ętatibus mundi Eccleſia congregatur. Nouerant enim Sancti ab orbe condito Chriſtum venturum, & regnũ diaboli deſtructurum. Quod verò attinet

locorum

locorum vniuersitatem, manifestum est, Ecclesiam per omnia loca diffusam ex illo Psalmographi, Postula à me, & dabo tibi hæreditatem tuam, & possessionem tuã terminos terræ: & ex illo suprà citato, Eritis mihi testes vsque ad vltimum terræ. Hæc posteriora duo signa distinguunt Ecclesiam Christianam verã à schismaticorum & hæreticorum gregibus, qui vinculum pacis rumpunt, & à catholica vnione seipsos in perniciem suam diuellũt, dum partem toti atque vniuersæ Ecclesiæ anteferunt: quales inter cæteros fuere Donatistæ, de quibus antè dictum est: & alij permulti. Ineptissimũ igitũ est, de Ecclesia dubitare, quænam, aut vbi sit. Ea enim quæ sectis, hæresibus suborientibus, & intercedentibus ab ipso Christi tempore, & ab orbis initio vsque ad nostra palàm & in aperto perseuerat. Est enim ciuitas super montem posita. Lucerna non sub modio latitans, vt quidam fingunt, quo non sit cuius iudicio damnentur, sed super candelabrum accensa, vt & dignosci possit ab omnibus, & ijs qui ad illam accesserunt lucere. Huius est, vt ait Paulus, captiuare omnem intellectum in obsequiũ Christi. Quæ à Christo capite orta, & in Apostolis ac martyribus propa-

Psal. 2. *Act. 1.* *Donatistæ.* *Alf. Ver.* *Ecclesia quæ* *Matt. 5.* *Quare recentiores dicãt inuisibilem Ecclesiam.* *1. Cor. 10.*

propagata per varios gradus Christianorum eandem fidem profitentium, & obedientiam pontificibus, & cæteris hierarchis præstantium, hucusq; perseuerat. Ab hac non est cur quispiã propter malos se segreget, cùm in Ecclesia militante vsque ad finẽ seculi boni cũ malis futuri. Quod Christus indicat, Ecclesiam cõparans decẽ virginibus, quinq; prudentibus, & quinque fatuis. Sagenæ missæ in mare, ex omni genere pisciũ congreganti, tritico seminato in agro, inter quod succreuerant zizania. Interest tamẽ. Nã boni in Ecclesia ita esse existimãdi sunt, vt ipsi sint domus Dei seu viua mẽbra corporis mystici, qui quidẽ soli Deo noti sunt, iuxta illud Pauli, Nouit Dominus, qui sunt eius. Mali verò per quandã colligationem professionis ac exterioris participatiõis sacramentorũ, nõ secùs ac palea in tritico, vel sicut quædam mẽbra putrida languidáue in corpore humano, hi quamdiu nõ excõmunicentur, sunt eo modo in Ecclesia: vt liquet ex Pauli epistola ad Corint. 1. cap. 5. Sed de Ecclesia latiùs in Scopo nostro biblico scripsimus. Nunc ad exẽplum de corpore Christi antè propositum reuertamur, illudq́; iuxta præcepta prædicta examinem⁹, Catholicæ

Solutio obiectionis eorũ qui propter malos ab Ecclesia se segregant.

Matt. 25.

Matt. 13.

Boni & mali Christiani quomodo sunt in ecclesia.

2. Tim. 2.

Verba Christi de sacramento corporis eius examinantur.

licæ Ecclesiæ iudiciū requirētes,idq́; paucis,neq; enim hanc materiam latè tractandam nunc instituimus,solùm gratia declarandorum dictorum exempli causa protulimus.Breue enim est iter docendi per exempla,& efficax.Ecclesia Catholica diuinitùs edocta religiōis christianæ materiā seu obiectum(quod est Deus operaq́; eius) tale esse scit, vt nullus creatus intellectus illud peruestigare poterit, cuius rei inter cæteros Diuus Paulus est testis. Qui quāuis tertij cæli mysteria cognouerat, tamen de rebus quibusdam quasi stupefactus in hæc verba prorupit:O altitudo diuitiarū sapientiæ & scientiæ Dei,quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inperuestigabiles viæ eius.quis enim cognouit sensum Domini?aut quis consiliarius eius fuit?Idemq́ue dixit, fidem esse argumentum non apparentium, quòd scilicet in religione Christiana non requiruntur argumenta, hoc est, rationes facientes fidem rei dubiæ, sicut in rebus humanis & naturalibus,sed fides ipsa, quæ in diuinis vicē argumentorū obit, vt scilicet quēadmodū illa indubitata habentur, quę argumentis firmis cōprobantur: ita certisśima existimāda sunt,quæ fide apprehēduntur.

Materia religiōis Christianæ qualis.

Rom.11.

Hebr.11.

Cur fides nominetur argumentum à Paulo.

Et

Et veluti in rebus naturalibus argumenta sequitur agnitio, ita in diuinis fidem, dicente Esaia, Nisi credideritis, non intelligetis: proinde captiuãs intellectum in obsequium Christi, vt Paulus docet, cõprobauit verum Christi corpus, & sanguinem in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter contineri, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinẽ, vt scilicet sint accidentia tantùm panis, sapor, albedo, &c. non tamen ipse panis: idq́ue anno ab hinc 341. in concilio magno Laterano, cui interfuere Hierosolymitanus & Constantinopolitanus Patriarcha, Metropolitani 70. Episcopi 400. Græci & Romani imperij legati, Regum verò Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri oratores. Id autem factum propterea, quòd id in dubium vocabatur ab aliquibus, non quòd ante cõcilium illud panis nõ trãsformaretur in corpus Christi & vinũ in sanguinẽ. Veluti filius ab æterno fuit homousios, id est, cõsubstantialis patri, tamẽ cũ Arrius contrariũ affirmaret, filium Dei extrinsecus creatũ, conciliũ Nicęnũ decreuit, filiũ Dei esse homousion, id est, consubstantialẽ, hoc est, ex ipsa deitate patris, non aliundè progenitũ. Pari ratiõe & de

1. Cor. 10.

Sententia catholicæ Ecclesiæ de corpore Christi.

Conciliũ Lateranũ œcumenicum.

Sententia Nicæni cõcilii.

& de trãſſubſtantiatione ſentiendum eſt, quam ante cõcilium Lateranum Eccleſia credidit. Iam inde ab Apoſtolis edocta, vt liquet ex authoribus grauiſsimis, & maximè pijs. Quorum teſtimonia collecta extant in locis communibus apud Hofmeiſterum, & Martinum Pereſium, ex quibus hîc breuitati ſtudens, pauca proferam. Cyprianus martyr 3. Epiſt. lib. 2. Calicem DOMINUS obtulit (inqt) & vinũ fuiſſe, quod ſanguinem ſuum dixit, vbi tranſſubſtantiationem notat in eo, quod dicit vinum fuiſſe. Ambroſius de Sacramentis, quem librum eſſe Ambroſij Auguſtinus agnoſcit: Panis eſt (inquit) vſitatus ante verba, vbi acceſsit conſecratio, de pane fit caro Christi. Theophylactus in Matthęum, Ineffabili operatione transformatur, etiamſi nobis videtur panis. Et in Marcum, Deus infirmitati noſtræ condeſcendẽs, ſpeciem panis & vini ſeruat, in virtutem autem carnis & ſanguinis tranſelemẽtat. Neque ſolùm veteres Chriſtiani id crediderunt, ſed etiã adorarũt exẽplo Magorum, mulieris Cananeæ, cæci nati, aliorumque, quos Chriſtus minimè vituperauit ob honorem ſibi exhibitum. Qui etiam de ſe ipſo dixerat: Omnes honorificent filium, ſicut

Cyprian. *Teſtimonia authorũ vetuſtiſſimorũ de corpore Chriſti.*

Ambroſius.

Theophyl.

Matth.2. *Matt.15.* *Ioan.9.* *Ioan.5.*

honorificant patrem. De qua adoratione est illud Augustini de carne Christi, dicentis: Nemo illam manducat, nisi adorauerit: cui non omninò dissimile illud Pauli: Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini, hoc est, expositore Photio, nõ dijudicans corpus Domini, sed eo tanquam promiscuo & indifferente cibo vtens, atq; ita ad ipsum accedens. Neq; eñ humanitas à diuinitate separatur, neq; corpus mortuũ accipitur. Cùm Christus resurgens ex mortuis, iam nõ moritur. Vnde & ipse Christus apud Ioannem: Qui manducat me, & ipse viuet propter me. quòd si id tibi impossibile videtur, quòd in cælos ascenderit, vide ne omnipotentię Dei deroges, apud quem non erit impossibile omne verbum, dicente Angelo. Præthereà, ne in ratiocinationibus tuis euanescas, quas etiam religio christiana (vt paulò antè ostendi) respuit. Postremò, ne (vt ait Paulus) in lapidem offensionis impingas, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur.

In Psal. 98. *1. Cor. 11.* *Rom. 6.* *Ioan. 6.* *Solutio obiectionis.* *Luce 1.* *Aptadictio.* *Rom. 9.* *Esaie 28.*

tur. Impoſsibile videbatur, ſi rationẽ hu-
manam ſpectes, vt is quem viderant Apo- *Solutio per*
ſtoli integrum, daret ſe ipſum manducan- *inſtantiã.*
dum duodecim Apoſtolis, erat tamen ve-
rum (id quod ex verbis Chriſti credit Ec-
cleſia Catholica) HOC eſt (inquit Chriſtus,
quaſi digito demonſtrans) corpus meum,
quod pro vobis tradetur. Non dicit hic pa
nis, neq; panis pro vobis traditus: quomo
do igitur & nunc etiam, quamuis in cælos
aſcenderit, id facere non poteſt, alioquin
niſi vt verba ſonant accipiẽda eſſent, Chri
ſtus ipſe nõ tacuiſſet tantũ myſteriũ, neq;
Apoſtoli. Illud autẽ maximè mirãdum in *Notatur quo*
pluribus huius ſeculi hominibus, qui licet *rundam ſtul*
credant verũ Chriſti corpus eſſe, nõ tamẽ *titia.*
adorant, negãtes ea de re præceptũ extare.
Paratiores iſti volũt eſſe in cultu DEI quàm
hominũ. Cùm eñ imperatorẽ aut regem,
ſeu quempiã alium vidẽt, licet in habitu
diſsimulato: reuerentur tamẽ, neq; nouo
ad hoc opus habent pręcepto, ſed ſatis eſt,
quòd illis nõ prohibeatur reuerentia. Da *Pſalm.98.*
uid olim arcæ reuerentiam exhibendam
præcepit, ex qua à Deo oracula dabantur:
Adorate (inquit) ſcabellum pedum eius,
quoniã ſanctũ eſt. Tu verò Deum verum
nõ adorabis? atqui ſcriptũ eſt: Dominum

Deuter.6. Matth.4. Deum tuum adorabis. qui aũt honor debet patri, is filio, vt proximè ostensum est. Isti sanè haud dissimiles vidẽtur seruo illi ridiculo, qui domino eius in luto hærẽte, seruumq; inclamante, vt manu porrecta illi auxiliũ ferret, ille operiri iussit, donec indicem inspiceret, an, si fortè dominus in cęnum prouolueretur, illi extrahendus esset. Ita enim inter illum & dominũ conuenerat, vt ea tantùm faceret, quæ in indice haberentur descripta. Sed hactenus ostendimus, qd Ecclesia Catholica de Christi corpore sentiat, quæ quidem materia planiùs est ab alijs tractata. Cùm igitur ex pręcedentibus manifestũ sit, in examinandis quæstionibus religionis ad Ecclesiam Catholicam recurrẽdum esse: videant isti, quàm rectè faciant, qui Ecclesiæ authoritate eneruata, noua sibimet dogmata, nouas constitutiones comminiscuntur, & constituunt, præsertim ab Ecclesia Catholica dissidentes. Sed hactenus de his, quæ à me proposita fuerunt, dictum esto: superest, vt vos omnes pro pietate Christiana meaque in vos animi promptitudine cohorter, nõ vt nescios doceam, aut quasi oscitantes excitem, sed vt vltrò currentibus calcar adderem, quò curratis alacriùs,

Ridiculus seruus.

Notantur quidam.

Epilogus ad Hungaros.

vo-

vobisque negotijs Reipublicæ occupatis in mentem ea reuocem. Subeant vobis in mentem (obsecro per Iesum Christum) dicta, quibus apud Esaiam Dominus Iudæos alloquitur: Lauamini & mundi estote, auferte mala cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse, discite benè facere, querite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Non est (inquit idem) abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat. Sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret: Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate, labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur. Non est qui inuocet iustitiam, neque est qui iudicet verè, sed confidunt in nihili, pedes eorum ad malum currunt & festinant, vt effundant innocentem sanguinem, cogitationes eorum cogitationes inutiles, vastitas & cõtritio in vijs eorum, vias pacis nescierũt. Propter hoc (ait Dominus) elongatum est iudicium à vobis, & non apprehendet vos iustitia, expe-

Esaiæ 1.

Verba Dei quibus olim allocutus est Iudæos.

Esaiæ 59.

ctauimus lucem,& ecce tenebræ,ſplendo-
rem,& in tenebris ambulauimus, palpaui-
mus ſicut cæci parietem, & quaſi abſq; o-
culis attrectauimus, impegimus meridie
quaſi in tenebris,rugiemus quaſi vrſi om-
nes, & quaſi columbæ meditantes geme-
Eſa.3. mus.Expectauimus iudicium, & non eſt,
ſalutem,& elongata eſt à nobis. Multipli-
catę ſunt enim iniquitates noſtræ, vos de-
paſti eſtis vineam meam, & rapina paupe-
ris in domo veſtra. quare atteritis populũ
Eſa.33. meum,& facies pauperum cõmolitis? Væ
qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis?&
qui ſpernis, nónne & ipſe ſperneris? Cũ
conſumaueris deprædationem, deprædaberis.
Eſa.5. beris. Oſtendam vobis (inquit) quid e-
go faciam vineæ meæ, auferam ſepem
eius, & erit in direptionem. Diruam ma-
ceriam eius,& erit in conculcationem, &
ponam eam deſertam. Væ qui iuſtifica-
tis impium pro muneribus, & iuſtitiam
iuſti aufertis ab eo: propter hoc ſicut de-
uorat ſtipulam lingua ignis, & calor flam-
mæ exurit, ſic radix eorum quaſi fauilla
erit,& germen eorum vt puluis aſcendet:
abiecerunt enim legem Domini exerci-
tuum & eloquium ſancti blaſphemarunt.
His verbis vos commoti ad honeſtiſsi-

ma

ma quæque & vtilissima consilia animũ adijciatis. Ne patiamini obsecro vos quouis vento doctrinæ circumferri, in nequitia hominum. Illud sibi maximè persuasum habentes, non vnius cuiusuis aut priuatorum paucorum: verùm Ecclesiæ, quã vos credere profitemini, iudicio standũ esse. Seruate fidem senes, quam adolescentes inuenistis, quã à maioribus vestris vnà cũ possessionib⁹ accepistis, in qua quosdã etiam ex genere vestro, Deo placuisse certissima indicia extant. Quod tamen idololatris, vt isti vocant, neutiquàm euenisset, cùm sine fide placere Deo impossibile sit. Et vt donetur quædam recentia veteribus esse vtiliora Ecclesiæ: certè necessaria esse non possunt, alioqui maiores nostri, qui huiusmodi dogmata nescierũt, haud habuissent Ecclesiam. Etenim Ecclesia minimè vocanda erat illa, cui aliquid tanto tempore defuit ad salutem, nec si tãtillo quidem defuisset. Moueamini vel exemplo Sceuanorum populorum Africę, quorum maiores sacris initiati fuerãt, docentibus Bartholomæo Apostolo, & Philippo diacono. Apud hos enim temerè desciscentes à religione, totius concursu multitudinis, lapidibus obruuntur.

Adaptatio verborũ Dei. Ephe.4. Non quouis vento doctrinæ circumferendus homo.

Hebr.11. Solutio obiectionis.

Iouius li. 18. tom.1. Exemplũ Sceuanorũ populi Africæ.

Semel verò susceptæ religionis ritus, præceptaq; temerè transgressos, & de Deo diuisque eius impiè loquentes, in foro viuos comburunt. Ne excidat vobis factum Francisci regis Galliæ Christianissimi, qui, cùm secta sacramentariorum pullulare inceperat, sparsis passim libellis famosis, quibus sacrosanctæ Eucharistiæ honor, & reuerentia eleuaretur, vehementer commotus, quanta maxima potuit religione, atque cæremonia, indictis solennibus supplicationibus, scelus hoc expiauit, pedes ipse, aperto capite, piacularem faciem ardentem gestans, pone sequentibus regina, liberisque, & aulæ primoribus omnique populo. Qui & concione pomeridiana omnes ad exterminandam eam hæresim nulla ratione, aut generis, aut amicitiæ habita, hortatus est: testatus etiam, se vel suum etiam brachium recisurum, si ea occasione infectum putaret, sontes deprehensos viuos exuri iussit. Agnoscite summum Ecclesiæ pastorem, quem imperator Christianus cum regibus cæterisque principibus Christianis agnoscūt, Christianoque more venerantur. Id quod & omnes reges vestri hactenus fecerunt, à quo etiá corona regni, & potestate crucis, regi-

Factum Regis Galliæ memorandū

Appendi chro. Car.

Ecclesiæ summus pastor.

regibus vestris prȩferendæ honestati sunt. Terreamini exemplo Sedeciæ regis Iuda, qui cùm verbũ Dei neglexisset, Ieremiæq́; prophetiam contempsisset, à Nabuchodonosore rege Babyloniorum captus, in cõspectu suo filios trucidari vidit, ipsi autem eruti sunt oculi. Hierosolyma funditus euersa, templum Dei iussu erectum, destructum est, selectisima pars Iudaici populi in captiuitatem abducta est, quam 29. annis pertulit. Suaserat enim Ieremias ex mandato Dei Sedeciæ, vt Nabuchodonosori Dei seruo (sic enim eum appellat) se dederet, quò populus peccata sua agnoscere posit. Agnoscite igitur & vos peccata vestra, Deumq́ue optimum maximum communibus vocibus precemini, ne patiatur ille vos deglutiri ab eo, in cuius rictu iam ferè hæretis. Date operam, vt patriam (quȩ omnium charitates vna complexa est) iam ferè collapsam, cõsilijs sanis & auxilijs promptis iuuetis, memores illius, Malum consilium consultori pesimũ: cuius rei præter cæteros plurimos (vt vestra exempla domestica proferã) testis est Vidus, testis Nicolaus Gara, qui mala consilia dum regibus præberent, & illis, & sibi plurimum incommodarunt, cædẽ deniq;

Horrendum exemplũ Sedeciæ regis Iuda.

Iere. 28.
Iere. 39.
Iere. 15.

Peccata agnoscenda.

Vidus. Nicolaus Gara.

accersiuerũt. Cogitate cum animis vestris quid in Chronicis vestris literis mandatũ sit, plurima mala, non priùs in Hungaria cessatura, donec se quisque metiri, coercere ambitione, aliena dimittere, inuidia carere, mutuamq́; concordiam amare didicerit. Qua quidem concordia (ait ille) paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabũtur. Non desunt vobis principes, pietate insignes, qui ita vtilitatem omnium vestrum tueri parati sunt, vt quicquid agũt, ad eam referunt obliti commodorum suorum, adeò vt mortem oppetere non dubitarent, dum modò sint vobis profuturi. Proinde cùm videam sic affectos, non est quod illos in præsentiarum alloquar, præsertim cùm princeps illustrissimus præcepta salubria assiduè audiat, ijsq́; aures eius vndique circunsonent. In cuius ætate tenera, & flectenda, & dirigenda eundem sensum, eandem curam, cũ serenissima Regina adhibeatis omnes, quoad se atque sua per ætatem regere possit. Nam vt arborum semina (ait quidam) dum pusilla sunt, palis indigent, quibus nitantur, ne ventis & tẽpestatibus incuruescant, obliquitatẽq́; ducant crescentia: Sic puerorũ ingenijs, moderatore opus est, & magistro, qui ea regat,

Vaticinium Bonfinii lib. 4. dec. 3.

Concordia.

Principes vestri quales.

Princeps bene educãdus

Leo põtifex ad Cardinalem Strigoniensem de rege Ludouico.

atque

atque cõtineat, ne flectere in vitia, malasq́; artes posint, ad quas tenera omnis, & infirma ætas, pronos maximeq́; lubricos lapsus habet. Id autem vel eo magis faciendũ, quòd Dominus apud Hieremiã dicat: Si potest mutare Aethiops pellem suã, aut Pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Nõ vno supplicio dignus est, qui fontem publicũ vnde bibant omnes, veneno inficiat: ita nocentissimus est, qui principis animum prauis infecerit opinionibus, quæ mox in tot hominum perniciem redundent. Si capite plectitur qui principis monetam vitiarit, quãtò dignior est eo supplicio, qui principem corruperit. Quòd si coronatũ sacro diademate regem, etiamsi bestijs comparari posset, nunquam tamen sine maximo scelere lædi posse, quidam generis vestri dixerat. Quod & Dauid rex senserat, qui suadenti seruo vt Saulem persecutorem suum interficeret: Propitius (inquit) mihi sit Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini. Quonã animo in principes iustos, pios, benignos, publici cõmodi studiosi esse debetis? Vos verò sacerdotes Domini, quos De⁹ nomine angelorũ exercituum Dñi dignat̃, satagite

Hiere.13.
Expende Dei dictum.
Similitudo Plutarchi ab Erasmo repetita.
In corruptores principis, si qui forte sint.
Reges honorandi.
Bonfinius li. 2. dec. 3.
Sacerdotes.

Mala. 2. gite vt labia veſtra cuſtodiant ſcientiam, & ne de vobis illud dici poſsit, quod de ſacerdotibus Iudæorum à domino dictũ eſt: Receſsiſtis (inquit) de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege, propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, ſicut non ſeruaſtis vias meas, ita Dominus. Adnitimini conſeruare veſtra, quibus ab initio parta ſunt. Imperium enim facilè his artibus retinetur, quibus ab initio partum eſt, vt ait Salluſtius. In ſumma, omnes ea curate, facite, quę vobis honori & vtilitati, Reipublicæq́; emolumento eſſent, & (quod omnium maximum & præcipuum eſt) in gloriam opificis rerum Dei cedant. Qui vt agnoſcatur & celebretur omnia creauit. Hunc timentes omni bono non minuentur. Pſal. 33.

FINIS.

EPISTOLA D. ERASMI ROTERODAMI CONTRA QVOSDAM QVI SE falſo iactant Euangelicos.

ERASMVS ROTERODAMUS, Gerardo Nouiomago S.

DOleo literas tuas nobis ſerò redditas: iam enim excuditur epiſtola, qua inuidiam per illos libellos mihi conflatam depello, quanquam abſtinens tuo nomine, quod immutaui. Miror per quos hic ludus ludatur. Bene vale. Friburgi tertio die Decembris: Anno

1529.

ERASMVS ROTERODAMVS VVLTVrio *Neocomo S.D.*

BIBLIOPOLA quidam reddidit mihi Dauidis quõdam Vltraiectini præſulis galerum, villis hirſutum ſericis: mihi quidem nulli futurum vſui, ſed tamen hoc nomine gratum, quòd mihi cùm ipſius, tum Philippi fratris eius, qui illi in dignitatem ſucceſsit, memoriã refricet: ſub quorum altero ſacris initiatus ſum, alterum habui ſingulari ſtudio meis fauentem cõmodis: qui & anulum inſigni ſaphiro decoratum, germani Dauidis olim geſtamẽ, ceu μνημόσυνον quoddam penes me eſſe voluit. Vtriuſque certè memoria mihi ſacroſancta eſt, non tantùm ob id, quòd imaginibus magnum illum Philippum patrem cognomento Bonum, nobis referebant, quo non temerè reperias alium inter Brabantiæ duces laudatiorẽ: verumetiã quòd ſtudio pacis & religionis amore præcelluerunt, in hoc quoq; laudatiſsimum parentem nobis referẽtes. Alterius virtus crebris ſeditionibus fuit exercita, ac proinde illuſtrior. Altero diu frui non licuit, quòd

ſenex

ſenex iam, ac vergente ætate pertractus ad hoc muneris, moxq́; magis etiam contra animi ſententiã autoritate Caroli Cęſaris, bellorũ tumultibus inuolutus, relictis terris, in feliciorẽ ſedem demigrauit. Porrò quòd ſignificas tibi moleſtam egeſtatem, equidẽ nec tam ſum inops, vt nõ poſsim, nec tam parcus, vt grauer amiculo aureos aliquot impartiri: ſed hęc benignitas quãtulum haberet momẽti, ad tuã egeſtatem ſubleuãdam? Res mihi ſanè mediocris eſt, minimumq́; ſupereſt meis neceſsitatibus. Multũ impendij requirit hoc corpuſculũ, etiã tum delicatum quum ætate floreret, aliquãtò plus ſenectus, plurimum aduerſa valetudo, geminusq́; morbus, vterq; immedicabilis. Nam aduerſus ſenectutẽ nullum eſt à medicis remediũ: ita negãt calculum in ſenibus eſſe ſanabilem. Iam bona pars mihi decidit in famulos & præſentes & dimiſſos, in nũcios & γραμματοφόρους; in eos, qui noſtros labores induſtria ſua nonnihil ſubleuãt, hoc eſt, qui venantur vetuſtos codices, qui conferunt enotantq́ue, qui noſtra relegunt, qui deſcribunt. Ad hæc vix credas, quanto rei familiaris detrimẽto reliquerim Baſileam. Nam illic præter alia cõmoda, domũ habebã alienis

impen-

impendijs ſartam, aliena ſuppellectile inſtructam: hîc ære meo paranda ſunt omnia. Poſtremò, vt pretia rerum adcreſcunt ſupra modum, ita decreſcunt cenſus. Cęſar agit fabulam planè motoriam, vt ne creditores quidem nunc auſint illum appellare: tantum abeſt vt & otioſus conſiliarius, & appellator non minùs piger quàm verecundus, ſtipendium accipiam. Ferdinandi regis eo ſtatu res ſunt, vt illius benignitas intra beneuolentis animi pomœria cōſiſtat. Iam quod ex Anglia Flandriaq; ſoluitur, adeò venit acciſum & arroſum, vt interdum quarta pars abſit. Siue in cauſa eſt nouata apud Anglos moneta, ſiue mutata numiſmatum æſtimatio, ſiue menſariorum ars. Quin iam pridem nec ex Anglia, nec ex Flandria quidquam adfertur, quum hactenus certiſsima fuerit illorum cenſuum ſolutio. Suſpicor aliquid monſtri ali. Eaq́ue gratia famulorum meorum fideliſsimum illuc emandaui, ingenti quidem ſumptu meo, ſed quod mihi charius eſt, incolumitatis illius non leui diſcrimine. Verùm poſtquam, mi Vulturi, induxiſti in animum Euangelicam vitam profiteri, miror paupertatem eſſe moleſtam, quum beatus Hilarion, vbi non inueniret

quod

quod pro naulo ſolueret, gloriandũ duxẽrit, quòd inſciẽs ad tantam Euangelij perfectionem perueniſſet. Gloriatur & Paulus, quòd ſciat abundare & penuriam pati, quòd nihil habens, omnia poſſideat. Idem collaudat Hebræos quoſdã Euangelium amplexos, quòd rapinam bonorum ſuorũ cum gaudio ſuſcepiſſent. Nemo tibi quicquã, opinor, eripuit: ſed vltrò quod erat, licet exiguũ, pro derelicto habuiſti, teq́; ipſe prudens ac volens iſti paupertati dedicaſti. Adde, ſi Iudæi nõ patiunt̃ inter ipſos eſſe pauperes, quantò magis conuenit, vt qui iactant Euangeliũ, fratrum inopiam mutua benignitate ſubleuẽt: præſertim quũ Euangelica frugalitas minimo ſit cõtenta. Si panis cibarius adſit & aqua, nõ deſiderant Attica bellaria, qui ſpiritu viuunt. Neſciunt luxũ: ieiunio paſcunt̃. Ipſi Apoſtoli, confrictis manu ariſtis, famẽ ſedaſſe leguntur. Alium fortaſſe deterreret, quòd diploma Leonis, vt audio, deuouet omnes, qui iſtius doctrinæ profeſſores, aqua, igni, aut hoſpitio iuuant. Verùm id ego ſic interpretor, qui iuuat ob ſectæ fauorẽ: alioqui, ſi germano fame periclitãti ſubueniã, nõ ob aliud, niſi quòd germanus eſt, non arbitror diplomatis minas ad

me pertinere. Idẽ exiſtimarim, ſi hominẽ, licet damnatũ, ſubleuẽ, nõ ob aliud, niſi qa homo eſt, & quàm diu ſpirat, ſpes eſt illũ ad meliorẽ frugẽ rediturũ. Nã iuxta Theocritum, non eſt ſpes vlla ſepultis. Fortaſsis hîc tibi videbor cauillis ludere, at alijs idẽ nõ videtur. Dices, nõ poſtulo ſubſidiũ pecuniariũ, tantùm operã tuã ad poetices ꝓfeſsionẽ requiro. Verecũdè flagitat quisquis querit. At mihi, Vulturi chariſsime, longè maior etiã eſt otij, quàm nummorũ penuria: nec iſthuc operæ, quod petis, exiguo negotio præſtare queam, vt maximè præſtare valeam quod petis. Quid me iam tot annis ab iſto ſtudiorum genere alienius? Quòd aũt attingis de offenſione, nõ poſſum tali amico iraſci, etiamſi velim: dolere me fateor, quòd in iſtũ labyrinthum temet cõieceris, vnde vtinã te poſsim eximere: vtinã tibi tum pro alijs quibuſdam fuiſſem in conſilio, qui nunc (vt ſcribis) deteſtantur ad quod pridem inſtigarunt. Sed harum rerum ſera eſt querimonia. Sanabilius erat malũ, niſi te libellis editis orbi prodidiſſes, à quibus tamẽ ne monitus quidẽ temperaſti. Parùm erat euulgaſſe epiſtolã ad Spirenſe Concilium: non magno interuallo ꝓſilijt nobis ridiculus ille

Co-

Cometes, Carolo Cæsari dicatus. Quum iterũ te meis scriptis admonuissem, vt à talibus iocis temperares, qui & principũ animos ad sæuitiã irritarent, & adeò nihil iuuarent causam, à cuius victoria vestrã pendet incolumitas, vt etiã grauissimè lædãt, placidè quidem respondisti, sed perinde quasi te fuissem hortatus, vt simile quiddam iterũ designares: ita rursus ad Concilium Spirense, cui tũ rex Ferdinandus pręsidebat, missus est libellus, nomẽ Erasmi literis benè magnis præferens. Titulus erat: Epistola Erasmi, quum esset fragmentum alicunde è libris meis decerptũ, vt lector parùm attentus, existimaret meã esse sententiam, Non esse fas in quenquam hæreticum pœna capitis animaduertere, eáque res Cæsarem, Ferdinandum, aliósque principes, atque etiam Romanum pontificem, in meum caput irritaret. Post hoc fragmentum sequebantur quædam tuo nomine, simpliciter, vt ab omnibus audio, seditiosa. Nam mihi nondũ vacauit legere. Hoc factũ tam abhorrẽs ab humanitatis amicitiæq; natura, ego vehementer admiratus sum, alij magnopere detestati sunt. Cęterùm quò minùs tecũ expostularim, migrationis negotia fuerũt in causa.

Concoctum est hoc, aut potiùs dissimulatum: & ecce nundinis autumnalibus prorupit similis libellus, eandẽ canens cãtilenã, qui in frontispicio prægrãdibus literis profitebatꝛ, Adnotationes Erasmi: reliqua tuo nomine succedebãt, magis ad excitandas seditiones, quàm ad pietatẽ conducẽtia. Iam finge mihi in tot libris alicubi excidisse, hæreticos nõ esse capite plectẽdos: an hoc erat humanitatis, quod erat mihi ad conflandã inuidiam accommodatissimum, id truncatim decerptũ, oculis & auribus principũ ingerere, prætermissis his, quæ vel mitigabant atrocitatem dicti, vel quid verè sentirẽ, explanarent? Si hoc faceret alienus in alienũ, quis nõ desideraret in eo candorẽ & humanitatem? Nunc hæc facis amicus in amicũ, & amicus Euangelicus in eum amicum, qui nunquã tibi neq; facto, neq; dicto præbuit ansam dissuẽdæ necessitudinis. Iam hoc atrocius est, quòd nusquã id doceo, non esse sumendũ capitis suppliciũ de hæreticis, nec vsquam adimo gladij ius principibus, quod illis non ademit Christus nec Apostoli. Tantùm admoneo locis aliquot, ne sit hîc præceps principũ seueritas, nec facilè præbeant aures quorumlibet theologorum aut monacho-

chorũ delationibus. Sunt dogmata ſcholaſtica, de quibus dubitare nõ eſt ſemper impiũ: & de quibus inter ipſos ſæpenumerò nõ conuenit, eſt error ſimplex: neq; ſtatim eſt hæreticus, qui lapſus eſt in aliquo fidei articulo. Vbi nõ ſubeſt peruerſitas animi, vbi nulla eſt peruicacia, ibi ſubleuãdus eſt charitate Chriſtiana q lapſus eſt, nõ occidẽdus. Prȩterea ſunt monachi ac theologi, qui vel naturȩ ſȩuitia, vel ſtoliditate, vel gloriȩ quæſtúsve gratia, vel deniq; priuato ducti odio, deferũt atrociter nõ ſolùm quæ friuola ſunt, aut vtranq; in partẽ diſputabilia, ſed etiã quæ rectè dicta ſunt, peruerſiſsimè calumniant. Noſti Iacobum Hogeſtratum: noſti Nicolaũ Ecmondanum: noſti Beddã, quos nominaſſe ſufficit. Precor vt reperiant Deum mitiorẽ iudicẽ, quàm ipſi fuerunt alijs. Tales admoneo Chriſtianæ manſuetudinis, vt, quod Eccleſiaſticis viris dignũ eſt, magis aduigilent vt ſanent, quàm vt perdant. Talis fuit Chriſtus, tales Apoſt. talis Amb. Cyp. Aug. quorũ claritas Cæſareum gladiũ ab occidẽdis hæreticis, quantũ poterat, cohibebat: ipſi lingua libriſq; rem Eccleſiȩ gerebant, & frequenter pro occidendis intercedebãt. Princeps nõ ſine cauſa gladiũ

portat, fateor: at certè theologorum & episcoporum est docere, arguere, mederi, docere errantes, arguere feroces, mederi deceptis. Et quod Domini parabola admonuit de non tollendis zizanijs, vel ad illa rudis Ecclesiæ primordia, vel ad Apostolicos viros pertinet, quibus non est traditus gladius, nisi gladius Euangelicus, quod est verbũ Dei. Hoc me sentire nõ potuit te latere, quum hac de re ante cõplures annos responderim Latomo, pridem Beddæ, ac nuper stolidissimis monachorũ Hispaniensium calumnijs. Rursus est hæresis, quæ manifestã habet blasphemiam, veluti quæ Christo detrahit naturã diuinã, quę diuinos libros insimulat mẽdacij. Est quæ malitiosis artibus, per tumultus ac seditiones tendit ad opes, ad regnũ, ad rerũ humanarũ confusionẽ. An hîc alligabimus principi gladiũ? Vt nõ liceat occidere hæreticos, certè blasphemos & seditiosos, tũ fas est, tum ad tuendam Rempublicam necessarium. Itaq; vt peccant qui ob quemuis errorem pertrahunt homines ad ignem: ita peccant qui in nullos hæreticos arbitrantũ prophano magistratui ius esse occidendi. Verũ quũ hi, qui pro hæreticis habentur, suadent nõ occidẽdos hæreticos, vel ceco

per-

perſpicuũ ſit, nõ defendi veritatẽ, ſed quęri maleficijs impunitatẽ. Quid aliud optarent prædones ac piratæ, quàm perſuaſum eſſe, nulli Chriſtiano principi ius eſſe quẽquã plectendi capite? Bonus eſt timor, qui deterret à ſcelere. Quòd ſi quis nõ vult timere magiſtratum, quod bonũ eſt operetẽ, & publica poteſtas nõ ſolùm non erit formidini, ſed etiam honori, iuxta beati Pauli conſiliũ. Neceſſaria eſt principũ ſeueritas, quam iſti ſæuitiam appellant. Atqui ſæpenumero fit hominum vitio, vt principes, naturâ clementes, malorũ improbitas cogat ad ſæuitiam, dũ ipſorum lenitate abutuntur: ac primùm contẽnunt, mox etiam illudunt, & illorum manſuetudinẽ interpretantur impietatis approbationẽ. Huiuſcemodi docent mei libri, ſi quando locus poſtulat, nõ hoc, cuius ſuſpicionẽ tuus iſte ludus mihi conatẽ impingere: nõ quòd ipſe hoc de me ſentias, ſed vt imponas ſimpliciorib⁹. quæſo te per amicitiã noſtrã, an tibi videor parũ grauatus inuidia, niſi ſtudio tantũ addas ſarcinæ? Aduerſus tot viperas, aduerſus tot crocodilos, aduerſus tot excetras, ægrè me ſuſtineo fauore monarcharum: nec vlla res erat, quæ poterat illos magis alienare, ꝗ̃ ſi illis gladiũ excutiam è

 mani-

manibus, easq; sectas defendam, quas illi velut execrabiles radicitùs euulsas cupiũt: & facerent, nisi rerum motus aliò vocaret illorum animos. Obsecro te amice, quid hostis faceret hostilius? Vt nihil in te contulerim officij, certè iam olim diligo te candidißimè, tuis commodis perinde ac meis semper gauisus sum: in cõmodis tuis æquè ac meis indolui. Quónam igitur scelere commerui, vt istis artibus caput meũ adducas in discrimen? Nosti monarcharũ iras, scis quod fulmen vibrent irati Ioues. Indignatio regis, ait Solomon, nũcij mortis: nec semper adest vir ille bonus, qui placet iram eius, sed frequenter adsunt mali, qui oleum addant camino. Nec ignoras, quàm multa nesciant principes, quàm ad multa parùm sint attenti, tot nimirum distracti negotijs. Nec te fugit, quot artib⁹ sit armata calumnia, quantumq; valeat interdum apud summos etiam monarchas. Sæpè iacet innocens, priusquàm sciat se delatum. Itaque non queo satis demirari, quo tandem consilio libellos istiusmodi alium post alium euulges. Si hoc agis vt me perdas, quò euanuit animus ille tuus, olim tam amicus, tam syncerus, tam candidus? vbi leges amicitiæ? Sin hoc moliris?

vt me compellas ad iſtius ſectę profeſsionem, id iam pridem mea ſponte feciſſem, mihi crede, ſi animo meo probaretur fabula. Vt autem profitear ea, quibus reclamat mea conſcientia, nullus efficiet mortaliũ: vt nunc quidem adfectus ſum, mortem citiùs oppetiero. Sed vbi interim veſtrum illud dogma, fidem perſuadendam eſſe, nõ cogendam? & in Euangelij negotio nihil adhibendum præter gladium verbi Dei? Quòd ſi iſta, vt arbitror, non facis maleuolentia, ſed animi gratia ludis, quæſo quid hac voluptate crudelius? An non eſt aliud ludendi genus, quàm cum amici pernicie deliciari? Sunt qui ſuſpicentur hinc emolumẽtum quęri vel tibi, vel typographis. An tantillum lucri tanti eſt, vt hoc amici ſummo diſpendio captandum exiſtimes? An deſunt gratioſa nomina, quorum lenocinio pelliceatur emptor? Quòd ſi iſtuc operæ vel commodas vel locas alijs, qui mihi malè volunt, quid fingi poteſt, non iam dicam alienius ab amicitia, ſed ſordidius atque abiectius? Si magno conductus eſſes, pręmij magnitudo vtcunque facti turpitudinem eleuaret: nunc ſi pretiũ eſt, non poteſt non eſſe viliſsimum. Atqui lex amicitię poſtulat, vt quoties vita ſeu fama,

quæ ſæpenumero vita charior eſt, vocatur in periculum, amicus pro amico vel in capitis diſcrimen promptè deſcendat. Sed mittamus amicitiæ rationem. Si ex animo probas quod profiteris, ſi verè tibi perſuaſum eſt eſſe ſanctum, pium, ac Deo gratum quod tueris, quo pacto magis valeas alienare bonorum animos à veſtro negotio? Cometen dicaſti Cæſari, nec tuum ſuppreſsiſti nomen. An ille parùm indignatur vobis, niſi talibus ludibrijs magis etiam exaſperetur? An regem Ferdinandum habetis parum iratum, niſi talibus fomentis etiam atque etiam inflammentur, tum ipſe tum alij principes illi conſentientes? Quorſum attinebat addere oleum camino? An vobis talium monarcharum poteſtas videtur contemnenda? Hoc vt impium non ſit, an tutum exiſtimas? Atqui mouere vos debet recens agricolarum exemplum. Quid erat illis ferocius? Sed experti ſunt verum eſſe quod ſcripſit Solomon: Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltabitur ſpiritus. Et tamen hîc quieuerũt Cæſar Carolus & rex Ferdinandus. Interim non ago veſtræ cauſæ iudicem, habet iudices legitimos Cæſarem & Pontificem. Sed

interim fingamus esse piam: vbi illa serpentis Euangelici prudentia, qua Paulus solicitè cauet, ne quod offendiculum det Euangelio, sed in omnia se vertit, vt omnes Christo lucrifaciat? Vbi columbina simplicitas, quæ nec inimicos nouit lædere? An istiusmodi technis propugnatū est Euangelium ab Apostolis? Atqui iactatis vos Euangelicam veritatem iam plus mille annis sepultam, reuocare nobis in lucē. Si verum dicitis, difficilius negotium agitis, quàm olim habuerunt Apostoli. Nec enim Paulo facilius erat Iudaicos abrogare ritus, ac gentium superstitionē destruere, quàm ea conuellere, quæ Ecclesiæ proceres magno consensu tot seculis vt oracula Dei, docuerunt, coluerunt, tenuerunt, hodieq́; tenēt. Nam gentium religio tantum habebat absurditatis, vt etiam qui inter illos literas scirent, aut paulò essent cordatiores, intelligerent esse mera figmēta, quæ de Dijs ferebantur: à callidis hominibus in hoc excogitata, vt incondita multitudo, quæ philosophiæ rationibus gubernari non poterat, Deorū metu vtcunq; contineretur. Et Prophetarum vaticinijs prædictum erat, futurum, vt gētes, relicto dæmonum cultu, verum Deū agnoscerēt:

quem

quemadmodum & de Iudaicis cęremonijs prædictum erat futurum, vt ad coruſcantem Euangelij lucem velut vmbræ euaneſcerent. At in his quæ vos conuellitis, quid obſecro vel abſurdum, vel ridiculum? Aut quis vnquam Prophetes prædixit hoc futurum, vt totus orbis ignoraret Chriſtum ab Apoſtolis prædicatum, ac pro Deo coleret idola, tum quotquot in Apoſtolorum vicem ſucceſſerant, excæcati, nihil viderent in ſacris literis: deinde poſt mille trecentos annos à neſcio quibus nouis Euangeliſtis, ad virtutis cognitionem reuocaretur? Adde quòd Apoſtolorum prædicationi fidem adſtruebat perpetuus dogmatum conſenſus ac miracula, quum vos non ſolùm diſſentiatis inter vos, ſed ijdem ſubinde nouetis ritus pariter & dogmata, altera parte ſitis omnino deſtituti. Arbitror autē nec miracula tantum attuliſſe momenti ad nouandum mundum, quantum Euangeliſtarum mores vndiquaq; puros & inculpatos. Non iam loquor de ieiunijs & veſtibus, ſimilibusq́ue ritibus, quos ſimulant & hypocritæ, ſed in adflictionibus alacritas, in perferendis iniurijs lenitas, animus ſimplex, manſuetus, nulli malū cogitans,
& de

& de omnibus bene mereri ſtudens, omnibus humanis rebus ſuperior, & vitæ cõtemptor, præcipuè commendabant illorũ doctrinam. Auocabant illi à ſolitis, ſed adducebant ad longè meliora. Vos ſtrenuè clamatis in luxum ſacerdotum, in ambitionem Epiſcoporum, in tyrannidẽ Rom. pontificis, in garrulitatem ſophiſtarum, in preces, ieiunia, & Miſſas: nec iſta purgari vultis, ſed tolli, nec omnino quid quam in receptis placet, ſed zizaniam euellitis cum tritico: aut, vt meliùs dicam, triticum euellitis pro zizania. At quid interim nobis profertis melius & Euangelio dignius, vt ab adſuetis recedamus? Circunſpice populum iſtum Euangelicum, & obſerua num minùs illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quàm faciunt ij quos deteſtamini. Profer mihi, quem iſtud Euãgelium ex commeſſatore ſobrium, ex feroci manſuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos oſtẽdam, qui facti ſunt ſeipſis deteriores. Excuſſę ſunt è templis ſtatuę: ſed quid refert, quum nihilo ſeciùs in animo colantur idola vitiorum? Nec video quo conſilio quidam tanto ſtudio demoliti ſint imagines,

gines, nisi vt esset conspirationis symbolũ. Interim obtẽditur horrendũ idololatriæ crimen. Sed quis nunc est tam lapis, vt putet lapidibus ac lignis inesse sensum? Et si qui tales sint, quantulum erat negotij docere populum, imagines ad hoc tantùm repertas, vt imperitis memoriam adiuuent? Excussæ sunt preces solennes: sed iam plurimi sunt qui nihil prorsus orant, quum frequens puraq́; oratio sit sacrificium maximè proprium Christianis. Abrogata est Missa, sed quid illi successit sacratius? non enim iam confero ritus cum ritibus, inductos cum relictis. Nunquam illorum ecclesias sum ingressus: sed aliquando vidi redeuntes à concione, veluti malo spiritu adflatos, vultibus omnium iracundiam ac ferociam miram præ se ferentibus: neque quisquam erat omnium, qui mihi viris aliquot honestis comitato deferret honorem, quẽ exhibemus quibuslibet, præter vnum seniculum. Sic opinor discedunt milites à cõcione ducis ad prælium, & ad θȣ́ειον ἄλκιν exhortati. Quis vnquam vidit in illorũ concionibus quẽquam pro peccatis suis fundentem lachrymas, tundentem pectus, aut ingemiscentem? Iam quanta pars ibi consumitur in laceran-

laceranda sacerdotum vita, ac (si verum narrant) frequenter in ijs sermonibus, qui magis faciunt ad seditiones, quàm ad pietatem? Abrogata est confessio, sed interim ne Deo quidem confitentur plurimi. Abiectus est cum ieiunijs ciborum delectus, sed interim gnauiter indulgetur crapulæ: & ita quidã effugerunt Iudaismum, vt cœperint esse Epicurei. Protritæ sunt cęremoniæ, sed nihil accesit spiritui: imò multum decessit, meo quidem iudicio. Cęremonias quasdã Iudaicas obseruauit Paulus, ne Iudæos alienaret ab Euangelio. Saltem hoc animo non erant omnes cęremoniæ reijciendæ. Nesciebant Apostoli præscriptos ieiuniorum dies: verùm, sed vltrò iniusiq; ieiunabant quotidie. Nesciebãt ciborum discrimina, sed spontè vilissimis vtebanẽ: summamq; in omnibus frugalitaté obtinebãt. Nemini præscribebatur leguminũ esus, sed vltrò leguminibus erant cõtenti, si res ita tulisset. Nulli interdicebatur vsus vini: sed Timotheus volens tam viuebat abstemius, vt Paulo monitore esset opus, q̃ pręscriberet modicũ vini vsum ad fulciẽdam corpusculi imbecillitatem. Paula mater Eustochij, nec Hieron. nec Episcopi senis autoritate perpelli potuit,

vt vel in morbo gustaret vinum. Si libertatem Euangelicam amplectimur, sic excutiamus legis iugum, vt charitas plus vltrò præstet quàm lex imperabat. Excussum est iugum humanarum constitutionum: sed vbi sunt, qui submiserunt ceruicem suaui iugo Domini? Et interim constitutiones humanæ, constitutionibus humanis, imò parùm humanis mutantur. Titulus modò mutatus est, vocantur enim verbum Dei; cæterum res adeò nihilo est mitior, vt cõplures boni viri, præferant vltroneũ exilium isti magnificè decantatæ libertati. Atque adeò proceres quidam & antesignani istius factionis, quum nondum ad Episcoporum dignitatem, opes ac ditionem peruenerint, tamen eiusmodi specimen de se præbent, vt ego me malim in Episcoporum quàm in horum potestatem tradere, si detur optio, malimq; Cæsaris potentissimi ferre iugum, quàm quorundam magistratuum Euangelicorum, quamuis humili sorte. Sic excutiunt iugum hominum, qui vestro Euangelio submittunt ceruicem. Magis vereor ne plerique pro graui iugo hominum, portent grauius iugum diaboli. Excussa est obedientia Episcoporum, sed ita, vt ne prophanis quidẽ

magi-

magiſtratibus parcatur. Olim Chriſtiani ſub ethnicis principibus quietè viuebant: ſtudioſe cauentes, ne quam ſeditionis occaſionem darent, exhibẽtes honorem cui debebatur honor, vectigal cui vectigal, tributum cui tributum: hortabantur Chriſto initiatos, vt idololatris etiam magiſtratibus obtemperarent, pro illorum incolumitate quotidie Deum orabant. At iſte populus tam Euangelicus, etiam Turcarũ principi dicitur deteſtabilis, quem ait ſeditioni natum. Quos ſubinde tumultus excitat? quoties quàm leuibus de cauſis procurrit ad arma? ne ſuis quidem Eccleſiaſtis ſatis obtemperans, niſi dicant blanda auribus: profligandi etiam, ſi liberiùs in vitam illorum inuehantur, aut ab opinione diſſentiant. Initiò tantùm non Deus erat illis Lutherus, nunc ijſdem prorſus delirat, quòd nouum de Euchariſtia dogma non recipiat. Nouã verò libertatem Euangelicam, impunè facere ſentireque quod cuiq; libitum eſt. Paulus iubet tradi Satanæ eũ, qui cõtra naturæ pudorem nouercam duxerat vxorẽ, hortaturque diſcipulos, vt ſubtrahant ſeſe à conſuetudine fratris inordinatè ambulantis. Cum his verò qui manifeſtis vitijs infames ſunt, ne

mẽſam quidem vult haberi communem. Nunc circumſpice mihi ſoliditatem iſtam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot alijs vitijs infames. Et hos quidam habent etiam in delicijs, tantum abeſt vt vitent. Apoſtoli, quò magis vacarent Euangelio, aut abſtinebant ab vxoribus quas ducere licebat: aut legitimè ductas, vertebant in ſorores. Nunc floret Euangelium, quòd ſacerdotes & monachi contra leges certè humanas, contra profeſsionem ſuam, ducunt vxores. Condonetur hoc: circumſpice, num caſtiora ſint eorum coniugia, quàm aliorum quos ducunt pro ethnicis. Agnoſcis opinor, quas hîc fabulas tibi poſsim referre, ſi libeat: neq; enim neceſſe eſt, vt notiſsima referã, quæ vel magiſtratus, vel plebes, reclamante aut conniuente magiſtratu, publicitùs deſignauit. Profligatus eſt monachiſmus, ſed vtinã cum cuculla ſimul excuſsiſſent vitia, quæ huic hominũ generi dicuntur eſſe peculiaria. Quid refert poſuiſſe cucullã, ſi manet obtrectandi morbus, ſi inuidentia, ſi impudentia, ſi philautia, ſi fucus & ſimulatio, ſi otium & cibus alienus, ſi petacitas & oberrandi libido, ſi rerũ alie-

narum

harum curiositas, si vindictæ cupiditas, si animus ad iracundiam preceps? Mihi videtur nouum monachorum exoriri genus, altero sceleratius, de malis loquor monachis. Nota mala, mala nõ sunt, inquit ille. Stultum est igitur mala mutare malis: dementis etiam, mala mutare deterioribus. Atque interim dum neminem amant preter sese, dum nec Deo, nec Episcopis, nec Principibus ac magistratibus obtẽperant, dum mammonæ, gulæ, ventri & inguini seruiunt: postulant haberi pro Euangelicis, & Lutherum magistrum præferunt. At qua fronte Lutherum magistrum agnoscunt, qui, quod præcipuè docet & inculcat Lutherus, in primis negligunt? Fidem vbique prædicat Lutherus, ea vbi vbi est, otiosa esse non potest: operatur per charitatem, nec operatur nisi bonum. Spiritum vbiq; prædicat Lutherus. At qui sunt fructus spiritus? Charitas, gaudiũ, patiẽtia, benignitas, bonitas, longanimitas, mãsuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. At nos in plerisque videmus opera carnis, spiritus nullũ vestigium. Quid aũt illis cum Luthero, qui, quod illius doctrinæ caput est, pili nõ faciunt? Quanquã hæc nõ sunt Lutheri, sed Christi & Apostolorũ.

Sit hoc disputabile, Vtrùm bona opera gignant fidem, an fides pariat bona opera, an bona opera iustificent nec ne. Illud certè extra controuersiam est, absque fide non esse cuiquam spem salutis: & ex fide per charitatem necessariò nasci bona opera, vt impudenter iactent fidem, qui non student bonis operibus: ac frustrà sibi promittant salutem, qui fide gloriantur bonis operib⁹ destituta. Iã vereor ne sub isto nomine multi nobis oriãtur pagani, quò magis etiam sint liberi, si nec cælum credant esse, nec inferos, nec animos à morte corporis superesse. Atqui interim iactant liberatas conscientias. Perfecta pietas habet quietã conscientiam, sed habet & summa impietas. At ego malim irrequietam conscientiam, quam fidei semen perpetuò stimulans, non sinat esse tranquillam. Insanabile malum est, quod non sentitur. Sed vt ad rem redeam, si fidem tam habent in pectore, quàm illis natat in labijs, quid est quod sic ad callida consilia technasq; confugiunt? nõ iam loquor de plebe, sed de primoribus. Erat mihi familiaritas Basileæ cum quodã, nondũ prorsus adflato hoc spiritu Euãgelico: is cùm statuisset totus esse Euãgelicus, primũ rumorem

moreĕ ſparſit me de Euchariſtia idĕ ſentire quod ipſe ſentiebat, quũ ex colloquijs ſciret me diuerſum ſentire: tum enim ea quæſtio potiſsimùm vertebatur. Expoſtulaui cum homine de techna tam parùm amica: primùm inficiari, mox tergiuerſari, tandem faſſus eſt ſe ita fuiſſe quibuſdam loquutũ: Eraſmus benè ſentit de Euchariſtia, nimirum idĕ quod ego. Rogaui quid ipſe ſentiret: Corpus, inquit, eſſe Chriſti. Hoc inquam ſanè mihi tecum conuenit. Sed ſentis illic eſſe corpus Chriſti ſubſtantialiter? Negauit cum auerſatione. Atqui hoc mihi tecum non conuenit, inquam. Cæterùm quid profiteris apud tuos? Corpus illic non eſſe niſi in ſigno? Annuebat. Atq; interim, inquam, dum audiunt Eraſmũ idĕ ſentire quod tu, nónne bella techna falluntur? Obticuit. Is iam proficiſcens, emiſerat vnam atq; alteram epiſtolam, in quibus laudabat ſubinde meã prudentiã, ſubindicans lectori me nõ ex animo loqui, ſed callidè diſsimulare, quid ſentirĕ. Idem domi ſuę reliquit epiſtolam ad magiſtratũ Baſileenſem, qua hortabatur, armatis precibus mecũ agerent, vt aperirem animi mei ſententiam, quum ſemel magiſtratui etiam ſcripto reſpondiſſem.

Obſecro te, num huiuſmodi technæ reſpondent Euangelicæ ſynceritati? Eiuſdē (ni fallor) inſtinctu, ſub Conciliū Badenſe, quod huic quæſtioni diſcutiēdæ fuerat indictum, prodijt libellus Germanicè ſcriptus, ne mihi promptū eſſet reſpondere, quò friuolis argumētis probare conabatū artifex, quòd Lutherus & Eraſmus de Euchariſtia ſentirent cum Carolſtadio, qui tum primùm ſparſis clàm libellis inſulſiſſimis, ſemē hoc Baſileam recēs inuexerat. Quid hoc facto impudentius, præſertim quod ad Lutherum attinet? Is Carolſtadium eiecerat ob hoc dogma, & reuerſum adegit ad palinodiā. Id quū libellis & epiſtolis editis teſtatiſsimum eſſet, tamē homo ſuauis orbi perſuadere conabatur, Luthero cum Carolſtadio cōuenire, vtcunq; diſsimularent. Vt autē perſuaderet idem me ſentire, collegerat loca quædam è libris meis, quos multò antè edideră, quàm hæc exiſteret quæſtio, aut priuſquam ſomniaſſem, quenquam de Euchariſtia dubitaturum: tantum abeſt, vt ipſe dubitarim. An qui talibus artibus rem agunt, habere videntur fidem Euangelicam? Hoc erat illorum conſilium, priuſquam inueniat Eraſmus interpretem, priuſquam reſpon-

ſpondeat, priuſquam excudatur apologia, iam hic libellus per omnium manus volitans, omnibus perſuaſerit quod volumus. Is populi error pariet nobis in eo conuentu victoriam. Denique ſi quid reſponderit, pauci legent latina, & populi ſuffragijs tota res agitur. Senſi technam, & quod vnum licuit, iã profectis qui vocati fuerant ad illam ſynodum, arripui calamum, & epiſtola tum meã declaraui ſententiam, tum illius artificis fucum detexi. Eam epiſtolam curaui Germanicè vertendam, & vtraq; lingua deſcriptam, per nunciũ proprium miſi in concilium, poſtulãs vt publicè recitaretur: id quod factũ eſt, ac paucis pòſt diebus emiſi libellũ apologeticum, quem in epiſtola fueram concilio pollicitus. Hoc facinus cum Apoſtolorum moribus collatum, ſi velim rhetoricis rationibus amplificare, vides quàm fœcundam habeam materiam. Neque vèrò hìc tantùm deſidero ſimplicitatem illam columbinam, ſed humanam etiam prudentiam. Facilè diuinare poterat, me tantam contumeliam non tacitè laturum, & vt ipſe diſsimulaſſem, rem ipſam confutaturã impudens mendacium, præſertim apud eruditos, atque etiam illiteratos non

omnino ſtupidæ mentis. Quid igitur captauit? temporariam eius vſuram fuci? Sed cum fœnore recidit deprehenſa vanitas, efficitque vt poſtea ne vera quidem dicentibus habeatur fides: At veritas Domini manet in æternum, nec Euangelij prædicatio voluitur per Etiam & Non, ſed in omnibus eſt Etiã. Venatus eſt animos ſimplicium fraudi idoneos, quemadmodum multi nunc ſub vmbra literarum inſidiantur ætati teneræ, ſexuique muliebri. Immane quàm hæc non ſapiunt Euangelicũ ſpiritum, quem iactitant. Habes duorum illius doctrinæ procerum ſpecimen, quorum te ſimilem eſſe nolim. Nuper, vt audio, quidam iſtius factionis Eccleſiaſtes non incelebris, verſo nomine dicauit librum filio regis Galliarũ, & inſparſit identidem voces aliquot Gallicas, ne in autorem Germanum cadat ſuſpicio: adfictis & alijs aliquot coniecturis, vt liber Lugduni à Gallo & ſcriptus & excuſus eſſe videatur. Agnoſcis eſſe veriſsimum quod dico: neque enim obſcurum eſt, quis hãc technam commentus ſit, & aliâs in luſu ſimili deprehenſus. Hunc ludum ſi ſibi permitteret in re vulgari & prophana, tamen indignus eſſet graui viro. Nunc quid minùs

conue-

conueniebat in eum, qui se profitetur sacrosancti Euãgelij præconem? Appello tuam conscientiam Neocome: tam serium, tam sanctum, tam arduum negotiũ, quod vos moliri iactatis, talibus facetijs peragẽdum videtur? Si ex animo iudicatis esse pium quod tractatis, vtique cupitis vniuersos homines eodem pellicere. At quo pacto valeatis optimum quenque magis alienare? Sin persuasum quidem habetis Dei esse negotium, non hominum, & tamen reclamante consciẽtia, istis fucis hoc agitis, quò sitis multitudine incolumes: vt homines fallatis omnes, non vereminі Deum, cuius vindictam nullus potest effugere? Si ille maledictus dicitur, qui facit opus Domini negligenter, quantò est execrabilior qui facit fraudulenter? Christus gloriam crucis non passus est tribui humanæ sapientiæ, & isti volunt eam adscribi talibus ludibrijs ac pręstigijs? Quòd si rem ludicram esse creditis, & aliud agitis sub Euangelij titulo, quem tandem speratis fore exitum istius tragœdiæ? quem, nisi cruentum & infelicissimum? Sed siue luditis, siue seriò agitis, saltem hoc erat vestræ prudentiæ, non irritare talibus petulantijs animos principum, meq́; ad pur-

gandam famam meam compellere, quod quo facio diligentiùs, hoc magis magisq́; grauo causam vestram. Vides quantopere Lutherus obfuit fabulæ, primùm nō omnino pessimæ, odio violentiæq́; scribēdi: quem nunc velut Aten Lita sequitur Melanchthon, componere studens quod turbauit ille: sed ipsa res docet, quātò celerior est offensio quàm medela. Vidēdū est itaque vobis, ne moribus neutiquā Euangelio dignis subuertatis totū negotiū: quod si impium est, rectè facitis, licet imprudenter: sin pium, quod pluribus longè secùs videtur, non solùm imprudēter, sed & impiè facitis. Quid alijs accidat, ex me coniecturam facio. Vix credas, quātopere mores isti animum meum alienēt à toto hoc negotio. Quòd etiam si quando mihi vlla ex parte probatum fuisset, his rationibus adduci possem vt resilirem. Dices, nihil tā felix vnquam fuit in rebus humanis, quin malorū admixtu vitiaretur. Ad bonos verte oculos. Fieri potest vt mea sit infelicitas, mihi adhuc neminem contigit nosse, qui non videatur seipso factus deterior. Arduum est quod profitemini, & Apostolorum negotio durius, quemadmodum antea demonstratū est: nec vos subleuant

vlla

vlla vel vaticinia,vel miracula. quòd si vita quoq; non solùm non commendat doctrinam vestrã, sed fidem potius abrogat: si neglecta hac commendatione,fiduciam in improborũ conspiratione,in seditiosis tumultibus,in armis,in fucis ac technis reponitis, piget commemorare quid vobis metuam, sed magis miseret me tot hominum millium,quos ea calamitas inuoluet. Apostolorum doctrinam tot res orbi cõmẽdabant: cæleste erat ac plausibile quod docebant:narrabant ea quæ viderant oculis, audierant auribus: nihil adferebant quod non esset olim multis modis & figuris adumbratum, & Prophetarum oraculis prædictũ.Accedebat tantus in prędicando consensus. Eadem loquebantur, quia eodem spiritu. Aderat præsentanea miraculorum vis,aderat spiritus ille igneus,qui sese moribus illorum, atq; etiã vultu oculisq; promebat. Nihil vi gerebant: tantùm vtebantur gladio spiritus: neminem agebant in exilium: nullius facultates inuadebant: ac ne gentium quidem idola frangebant, nisi fortè precibus ad Deũ fusis. Denique non aliud loquebantur apud suos, aliud in tormentis. Adde nunc tot Martyrum mortes.Et tamen talis doctri-

doctrina, tot rebus commendata, paulatim ac sensim occupauit orbem. Vos postulatis, vt intra nouem annos mundus aspernetur, quod ante annos mille à maioribus est traditum, & in vestra dogmata pedibus eat ac manibus, nulla harum rerum, quas recensuimus, cõmendati. Quale est autem quod exigitis? Vt credamus Ecclesiam annis mille quadringentis caruisse Christo, sed sponso stertente, sponsam pro Deo coluisse laruas & idola, in sacris literis enarrandis fuisse prorsus cæcam, miracula Sanctorum nihil aliud fuisse quàm præstigias dæmonum. Non hîc pergã collationem persequi: tu ipse cõferto, simulque iudicato, num æquum sit quod à nobis flagitatis, & num vestræ saluti consultum sit, dum ista sequimini. Si vos offendunt vitia Christianorum, ostendite nobis Ecclesiæ vestræ specimen, quę non habeat maculam neque rugam, & amplectemur illam. Quòd si nostra scelera commeruerunt iram Domini, solet ille per Pharaones, Antiochos, Cyros, & Nabuchodonosoras punire suos, non per viros Euangelicos, quales haberi vultis. Quid vobis polliceamini, nescio: mihi rerum proœmia, progressus & omnia signa, nihil aliud

pro-

promittunt, quàm calamitoſum exitum, nec vobis tantùm triſtem. Multos ſecum trahet ingens ruina. Qui bene conijciet, vatem hunc exiſtima optimum, habet prouerbium: nec fortaſsis eſt aliud certius diuinandi genus, quàm ſi quis ex præteritis ac præſentibus colligat futura. Euangelica pietas à minimis initijs paulatim creuit in maius ac melius, & optimus quiſque ſe illi iungebat: hanc doctrinam ferè leuiſsimus quiſque amplectitur. Ad Romanos pontifices cæteroſque præſules ſerò repſit opum amor, deliciæ & dominandi libido: vos ſtatim regnare vultis diteſcere. De delicijs quid attinet dicere? Monachorum ordines hominum inuentum eſt, donemus iſtud: ſed quot egregios viros Franciſcanorum & Dominicalium ſodalitia nóbis dederũt, ſiue ſpectes eruditionem, ſiue ſanctimoniam? Primũ bonos gignit Aegina, vt Græci ſolent dicere: & hæc eſt rerum humanarum infelicitas, vt ab optimis initijs, paulatim in peius degenerent. Pudet autem referre, quales ſint veſtri inſtituti prmitiæ, quàm non auſpicata primordia. Iam mihi ſpecta, quàm omnia ferè cedant in diuerſum. Conabantur demoliri Pontificum, Epiſcoporum ac mona-

nacho-

nachorum tyrannidem, quòd per illos non liceret veſci quibuslibet, nec veſtiri quomodolibet. Atqui hanc libertatẽ minimo facileq́; parare licebat ab Epiſcopis aut Romano Põtifice. Nunc antea contẽptis theologis ac monachis, per vos data eſt magna tyrannis excutiendi facultatibus, ſi quibus malè velint: conijciendi in vincula, deniq; exurendi, quod iam experti ſunt complures, nemo non metuit. Antea licebat varias agitare quęſtiones, de poteſtate Pontificis, de condonationibus, de reſtituendo, de purgatorio. Nunc non tutum eſt hiſcere, ne de his quidẽ, quę pie vereq́; dicuntur. Et credere cogimur quòd homo gignit ex ſe opera meritoria, quòd benefactis meretur vitam æternã etiam de condigno. Quòd beata virgo poteſt imperare filio cũ patre regnanti, vt exaudiat huius aut illius preces, aliaq́; permulta, ad quæ piæ mentes inhorreſcunt. Ante hac nemo magnopere moleſtus erat veſcenti carnibus, modò priuatim, nunc pro hæretico trahitur in carcerem, & de capite periclitatur, qui vel valetudine coactus, guſtarit ouum in quadrageſima. Antea licebat conſpuere monachos ac theologos, eoſdẽ nunc ſic armaſtis, vt capitale ſit quẽquam

verbo

verbo lacessere. Antea licebat vobis proficisci quò lubebat, nunc aut latitatis metu, aut paucis ciuitatibus velut obsessi continemini. Antea clericos consecratio tuebatur à rigore prophani iuris, nunc sacerdotes æquè atque cerdones à carnifice torquentur, cæduntur, suspenduntur, decollantur, exuruntur, sine vlla regradatione. Sic effugistis regnum Pontificis. Excussistis aliquot locis Episcopos, Canonicos ac monachos: sed muscas iam propemodum saturas, ac pro his siticulosas adsciuistis. Hæc sunt renascentis Euangelij vestri præclara auspicia: quid immineat malorum, vos diuinate. Verùm iamdudū piget huius contentionis, multoq́; procliuius est præterita rephendere quàm corrigere. Atque vtinam per quosdam vestræ professionis liceat mederi pristinis. Vtinam res vtcunque cœpta, ad eam moderationem redigatur, vt quæ officiunt pietati, commoda prudentiq́; curatione sanentur: quæ pia sunt, in his animo Christiano consentiamus: quæ nec admodum conducunt ad pietatē, nec officiunt, sinamus in his vnumquenq; in suo sensu abūdare: & probatis omnib⁹, sibi quisq; quod bonū putarit, teneat. Quæ sunt ardua, nec

adhuc

adhuc ad plenum discussa videntur, sic in aliud tempus differantur, vt interim maneat inter discordes sententia, beneuolentiæ concordia, donec & illa Deus alicui reuelare dignetur. Denique si quid irrepsit hominum vitio, fiat idem quod à probis medicis fieri solet: vitia rerum tollantur, non res ipsæ. Sed interim meminerimus, nunquam tam feliciter actum fuisse cum rebus humanis, vt non multa fuerint condonanda. Cùm primis autem iunctis votis dominum oremus, vt ex irato nobis factus propicius, suo spiritu conciliet animos omnium in Euangelica synceritate, vtrique vitam in melius commutemus. Nec enim dubium est, quin hæc orbis miseranda calamitas diuinitùs nostris sceleribus infligatur. Vna manus nobis vulnus opemque feret. Nec tamen vetat pietas, huiusmodi malis, quæ probabile est vel Deo volente, vel eius permissu nobis immitti, adhibere remedia, nisi fortè suam voluntatem euidenti signo declaret, quod in vetere testamento factum semel atque iterũ legimus. Neque enim si pestilẽtiæ lues ingruerit, nefas est opem quærere malis: neque si Turcarum vis irrumpat in Christianos, vetamur ad arma confugere: neque non

non licet debitorem inficiantem, ad reddendum quod habet, adigere: aut aduersus calumniantẽ tueri famam noſtrã, modò id fiat per eos, per quos oportet, & conceſsis rationibus. In morbo medicũ adhibere licet: ad magos, ad incantatrices fugere fas non eſt. Agaricum & ſcammonium ſumere nulla lex vetat: ſuperſtitioſis applicaturis, ac magicis precaminibus vti vetat Chriſtiana pietas. Hoſtium incurſum legitimo bello depellere fas eſt: maleficijs, veneficijs, alijsúe dæmoniacis artibus eos perdere fas non eſt. Itidem ab improbo debitore licet legibus vindicare nummos tuos, aut à ſycophanta famam adſerere: at idem dolo, vi, alijsúe malis artibus non licet. Quanquam hîc quoque peccant qui fidũt humanis remedijs magis quàm DEO. Vult Deus vt quod noſtra poteſt induſtria, vigilanter adhibeamus: ſed hactenus, vt in ipſo ſit tota noſtra fiducia, & ſi res ceſſerit ex ſentẽtia, nihil hic tribuamus nobis, ſed vniuerſam laudẽ Deo tranſcribamus. Seruauit per medicum, liberauit per arma, vindicauit per lęges. Sic eñ illi viſum eſt, ſed nihilo minùs abſq; his omnibus poterat opitulari: at citra illius auxilia nihil opis tuliſſent hæc omnia, quan-

tumuis diligẽter adhibita. Ita Dominus interdũ permittit existere schismata & hereses in Ecclesia sua, vt suorũ & exerceat patientiã, & erudiat imperitiam. Quis enim nescit, Ecclesiam per hæreses fuisse vehementer & corroboratã & illustratam? nec ideo non semper acerrimè restitit hæreticis, non quidem armis, neque venenis, nec dolis, nec calumnijs, sed armis spiritualibus: & hactenus semper vicit, non suis præsidijs, sed diuino fauore. Illa tamen interim, quod sui muneris erat, gnauiter adhibuit, monens, obsecrans, arguens, reuincens, iugulans gladio spiritus, insanabiles demum à Christi corpore segregãs. Nullum autem huiusmodi malis remedium præsentius, quàm si causas, quibus offensus Deus, eas calamitates nobis immisit, amputemus, nõ his incorrectis, tantùm ad confiscationes, carceres, gladios, & ignes cõfugiamus. Irascitur Deus pastoribus, quòd gregem Domino charissimum, quẽ ter amare, ter pascere debuerant, negligunt, deglubunt, deserunt ac produnt: eoq; nobis immittit lupos hæreticos. Prima sit cura pastorũ, vt officij sui meminerint, & in melius commutata vita tum demum aduersus lupos arment. Offensus est

Deus

Deus otio, luxu, ſuperbia, libidine ſacer-
dotum. Pro delicijs amplectātur ſtudium
ſacrarũ literarum, pro luxu ſobrietatem,
pro libidine caſtimoniã, pro ſuperbia pœ
nitentiam: ac deinde Domini præſidium
implorent aduerſus hæreſeôn & ſchiſma-
tum autores. Huius mundi Principes in-
terdum offenſi duritie populi detrectan-
tis pendere quod illis debetur, conniuen-
tes patiuntur illum ab hoſtibus infeſtari,
quò vel ſic docti reſipiſcant, & agnoſcant
quantum ſuo Principi debeant. Hi ſi pro-
tinus ad regis auxilium confugiant, nihil
egerint, niſi ſubmoueant irarum cauſas.
Quod dico de ſacerdotibus, idẽ de mona-
chis, de clericis omnibus ſentiendum ar-
bitror. Quem ex his adhuc conſpeximus
his calamitatibus doctum, ad frugẽ melio
rem ſe recipere? Quis abiecit concubinã?
quis luxum vertit in ieiunium? quis opes,
quibus hactenus equos, canes, amicas a-
luit, effudit in pauperũ ſubſidia? quis ſtre-
pitu delicijsq́; valere iuſsis, ſolatiũ omne
in ſacris libris repoſuit? Quis monachorũ
abiecta hypocriſi, veram pietatem ample-
xus eſt toto pectore? Et haud ſcio, an po-
puli mores ſint etiã corruptiores. Quòd ſi
ſimul omnes, agnoſcentes peccata noſtra,

 ſup-

ſupplices confugeremus ad Domini miſe ricordiam, non eſt ſurdus, mihi crede, nec inexorabilis. At ſi perſeuerantes in his, ob quæ Deũ nobis iratũ nouimus, nec perſeuerantes modò, verùm etiã peiora prioribus adijcientes, oleum addimus camino, fruſtrà noſtris freti conſilijs pollicemur nobis malorum finem. Nunquam tam feliciter actum eſt cum Eccleſia, quin inter paucos bonos, multos pertulerit malos. Quoties clamat Paulus in pſeudapoſtolos, in canes, in malos operarios, in falſos fratres, in ventris mancipia? Solent omnium rerum feruere principia. Erat tunc tẽporis rarus ac puſillus Eccleſiæ grex, & tamen in hoc erat diſsidia, factiones, contentiones: in hoc erat, qui palàm vxoris loco nouercam haberet: in hoc Demas, qui relicto Euãgelio, ſecutus eſt ſeculum: in hoc qui inſyncerè prædicarẽt Euangelium, qui mentirentur, qui circumuenirent, qui fraudarẽt fratres, qui circunciderentur: in hoc quæ otioſæ circumibant domos alienas, garrulæ & curioſæ, oneratæ peccatis: in hoc erant viduæ, quæ collecta ex Eccleſię cibo laſciuia, deſerto Chriſto, ſe ſe reflecterent ad Satanam: in hoc erant, qui blandiloquijs ſeducerent corda

ſim-

ſimplicũ:in hoc erant qui mentirẽtur ſibi apparuiſſe angelos: hæc aliaq́; multa tum fuiſſe, liquet ex epiſtolis Apoſtolicis. Tantum malorũ iam tũ lactens raraq́; tulit Eccleſia, & miramur, ſi in eadem tam numeroſa, tam latè diffuſa ſunt quę bonis diſpliceant, & ob vitia quædam inſperſa, cenſemus vniuerſam Eccleſiæ ſcenam inuertendam? Optabile quidẽ eſt, omnes Eccleſiæ præſules eſſe quàm maximè ſacra doctrina, ſtudio pietatis, charitate, ſynceritate morum ornatos. Paſtores ſunt omnium, ſed & ipſi ſunt oues: homines, hominum curam gerunt. Nec tamen eſt quorumlibet, horum vitia corrigere: denique vt boni ſint, magna pars populo in manu eſt. Præbeant ſe laici dociles, non deerunt illis doctores per Dei prouidentiam. Clament inſtanter ad ſummum paſtorem, vt ille placatus proſpiciat ſuo gregi. Quàm diu trahitur per huius ſeculi fluctus Eccleſiæ ſagena, necdum ad littus peruenit, malis bona permixta feramus oportet, eaq́ue ſemper fuit, ſemperq́; futura eſt rerũ humanarum cõditio, vt plus habeant aloës quàm mellis. quòd ſi quis vndiquaq; tantùm decerpat mala, nimirũ illi nulla vitæ portio placebit, ſed ꝓbabit Sileni ſentẽti-

am, Optimũ esse nõ nasci, proximũ quàm ocysſimè aboleri. quòd ſi in æſtimãdis rebus ſiniſtrũ duntaxat oculum intenderit, occluſo dextro, ea quoque quæ rectiſsima ſunt, videbunt̃ peſsima. Porrò quũ Eccleſia, quemadmodũ res cæteræ mortalium omnes, habet rudimenta, progreſſum & ſummam, nunc ſubitò illam ad primordia reuocare, nihilo ſit abſurdius, quàm virũ adultum ad cunas & infantiam velle retrahere. Multa ſecum defert tẽpus, & rerum ſtatus multa commutauit in melius. Olim clanculùm in ędes priuatas conueniebant pauci Chriſtiani: nunc in templum publicum & conſecratum cõgregantur omnes: Vtrum decentius? Nimirum hoc. Olim in cœnis ſumebatur Euchariſtia, in quibus, teſte Paulo, alius eſuriebat, alius ebrius erat: nunc à ieiunis ſumitur ad ſacram menſam: Vtrum religioſius? Olim in Eccleſia alius habebat hymnum, alius Apocalypſim, alius Pſalmum, alius loquebatur linguis, alius prophetabat, & interim garriebant mulierculæ: nunc certis hominibus diſtributa ſunt officia, cæteri taciti compoſitique auſcultant, aut orant: Vtrum religioſius? Olim in nocturnis vigilijs curſitabatur ad ſepulchra

mar-

martyrum, à pueris, puellis, viris, monachis, vxoribus, ſacris virginibus: At flagitia quæ ſub vmbra pietatis admittebantur, perſuaſerunt vt hoc vigiliarum genus tolleretur. Noctu populus obambulabat cum candelabris argenteis, canens hymnos, & interdum dum diuerſæ profeſsionis ſibi occurrebãt chori, hymni verſi ſunt in rixam, candelabra in arma. An non igitur & hoc rectè ſublatum? Olim corpus Domini dabatur in manum, vt domi, cùm vellent, ſumerent, qui accepiſſent: at quum exiſterẽt qui tractarent indignè, qui ad artes magicas abuterẽtur, mutata eſt in melius conſuetudo. Olim populi ſuffragijs creabantur Epiſcopi, eiuſdem libidine deijciebantur, interdum lapidabantur. Res erat plena tumultus, interdum & cædis. Itaque res ipſa perſuaſit, vt penes paucos ac certos homines eſſet ius deſignandi Epiſcopos, aut etiam ſubmouendi. Olim Epiſcopi ad populum loquentes, cogebantur ſcenicum quiddam exhibere, nõ aliter quàm hiſtriones, quorum actio niſi placeat populo, nõ optimo iudici, ſibilis eijciebantũ è proſcenio. Atq; interdum audiebantur indecorę acclamationes, incompoſitæ manuũ iactationes,

 alij-

alijque turbulenti gestus, sibili, cachinni, si quid displicuisset, aliasque quæ vulgus è theatris ac circis secum ferebat in Ecclesiam Dei. Queritur hoc frequenter Ioannes Chrysostomus, nonnunquam & Hieronymus. Nunc è suggesto dicentem taciti, multaque cum reuerentia auscultant omnes. Vtrùm quæso templo dignius? Olim totus populus canebat, & sacerdoti respondebat, Amen. Ibi strepitus tonitruo non absimilis, & ridicula vocum confusio spectaculum exhibebat indignũ cultu diuino: nunc designati sunt qui canant decẽter, cæteri psallunt in cordibus suis domino. Recens ECCLESIA nullam speciem musices recipiebat, nec sine reclamatione recepta est, sed modulatæ recitationi similior quàm cantui, primùm apud Græcos, deinde apud Latinos: cuius specimen adhuc videre licet in precatione dominica, aut si quid aliud est eius generis: nunc, vt est natura rerũ humanarũ, eò degenerauit vsus, vt in multis templis ferè nihil audiatur preter immanem boatum, aut ineptum vocum garritum, qui citiùs inuitet ad lasciuiam, quàm ad pietatis adfectum. At non ideò musica omninò submouenda è templis, sed quod prauè irrepsit, arte corrigendum

dum

dum est.Seculis aliquot abominabile censebatur in templis Christianorum videri pictam aut sculptam imaginem. Id iuxta illorum temporum rationem suadebat pietas,partim ob Iudæos, qui ex præcepto DEi detestabantur omnia simulachra,alioqui procliues ad idololatriam: partim ob eos qui ex gentibus venerant ad Euangelium,in quibus probabile est aliquandiu resedisse veteris instituti reliquias. Nunc imaginum vsus eò processit,vt non solùm modum excesserit, verùm etiam à decoro recesserit. Videmus in tẽplis,quæ parùm decorè pingerentur in porticibus aut popinis.Nihil tamen necesse est in totum submouere picturas, quæ plurimum habent & voluptatis & ornamenti & vtilitatis,sed quod est vitij,corrigendum erat. Olim Ecclesia nullas habebat scholas publicas,duntaxat in re Theologica:solus Episcopus erat doctor omniũ. Sed quanto rei Christianæ bono institutæ sunt scholæ, præsertim apud nationes barbaras? Nũc quæstus & ambitio vitiauit hoc bonum, quæstiũculis ad ostentationẽ magis quàm ad pietatem facientibus.An ideò tollendę scholæ? Nequaquam: sed ad Christianam sobrietatẽ reuocanda sunt studia. Atqui ex

iſto ſodalitio extiterunt, qui priuatim ac publicè docuerunt, Diſciplinas humanas nihil aliud eſſe, quàm retia dæmonũ: tantumq́; profecerũt, vt perquã rarós in iſto grege cõſpicias, qui ſeriò dent operã literis, vel ſacris vel prophanis: quæſtui, voluptati ſtudẽt affatim. Olim liberũ erat monachorũ genus: ſed quum increſcens turba ſe per orbẽ ſpargeret, exordijs ab Aegypto profectis, multaq́; flagitia ſub obtẽtu pietatis committerentur, iamq́ue per hos metueretur totius Eccleſiæ confuſio, neceſſariò redacti ſunt in vitæ genus adſtrictius. Et huc certè conducunt veſtium diſcrimina, quò vitentur faciliùs, ſi mali ſint. Olim aduerſus hæreticos non pugnabatur, niſi gladio ſpiritus: verùm poſteaquàm eò peruicacia ſtudiorũ efferbuiſſet, vt res ad cruẽtum orbis tumultũ ſpectare videretur, coacta eſt Cæſarũ poteſtas, legibus & armis publico occurrere diſcrimini. Olim Eccleſię pręſides alebant his, quę ſpontè deferebat populus: nec alijs armabantur præſidijs, quàm doctrina, precibus, & lachrymis: atqui apud nationes efferas ipſa perſuaſit neceſsitas, vt aduerſus populares incurſus, opibus, ædificijs, & miniſterijs munirentur. Quid multis? Si

Pau-

Paulus hodie viueret, nõ improbaret, opinor, præsentẽ Ecclesiæ statum: in hominũ vitia clamaret. Et quibusdã nihil vsquàm placet, nisi quod ipsi instituerunt, quanquam ne in his quidem constantes. Medendum itaq; vitijs, sed citra tumultum, & illud obiter cauendum, ne morbo sint atrociora remedia. Quòd si altera pars nihil omninò nouari patitur, altera nihil patitur relinqui, quis erit contentionis finis? Si præsules Ecclesiæ, si principes prophani, sepositis mundanis adfectibus, nihil sibi proponant, nisi Domini gloriam, & Ecclesiæ spirituale commodum, malum absq; magno tumultu poterit sedari. Hic igitur erat ambiendus honestis rationibus & monarcharum & præsidum fauor, potiùs quàm alienãdi illorum animi. Superest instanter orare, vt hanc mentẽ Christus omnibus inspirare dignetur. Verùm hisce de rebus plura quàm statuerã. Quod superest, facerem quod antehac feci, hortarerque vt ad nos te reciperes, si sperarem me quicquam profecturum. Dominus adspiret animo tuo, quæ saluti tuę cõducunt. Ignosces libertati meæ, Vulturi charissime. Quum hæc quæ facis, mecum reputo, multa in te desiderare cogor: in pri-

primis pristinum illum animi tui candorem,& in nos peculiarem etiam quandam beneuolentiam : tum prudentiam non vulgarem : ad hæc mentem sobriam : denique totum illum Vulturium, quem olim cum multis bonis doctisq; viris & noui,& amaui. Saltem hoc impetrem abs te, vt si minùs in gratiã meam, certè tua ipsius causa, postremò negotij respectu, quod tu pium ac sanctum existimas, ego nondum omninò despero ad aliquod temperamentum posse reduci, temperes ab istiusmodi nænijs. Est satis argumentorum, si libet vacatque ludere, vt citra noxam, amici iocis indulgeas. Sin prodesse cupis, multò alia tibi ineunda est ratio. Hæc puta tibi ab homine verè amico scripta esse. Dominus te seruet. Apud Friburgum Brisgoicum, pridie Nonas Nouembres, anno 1529.

EPI-

EPistola hæc, ne quid te fallat Lector, scripta fuit ab Erasmo anno M. D. XXX. ad fratres inferioris Germaniæ & Phrysiæ Orientalis, aduersus ministros verbi Ecclesiæ Argentoratensis, qui (nisi fortè fictus fuit titulus) libro ad dictos fratres scripto reuerà tamen appetiuerant Erasmum, qui hoc scripto illis respondet.

DES. ERA-

DES. ERASMVS ROTERODAMVS DILECTIS IN CHRISTO FRATRIBVS GERmaniæ inferioris, & Phryſiæ Orientalis, S. D.

PRodijt hîc liber quidam ſcriptus ad inferioris Germaniæ fratres, Phryſiæq́ue Orientalis, qui ſuſpicionem multis prębet in iſtis regionibus eſſe permultos, qui nouis hiſce ſectis addicti ſint, quæ ſe nunc Euãgelij titulo venditãt. Is vtcunq; ad vos ſcript⁹, reuera aduerſum me ſcript⁹ eſt. Grauí⁹ tñ doluit mihi patrię noſtrę calamitas, q̃ mea priuata iniuria. quare cũ primis vos obteſtor p ſalutẽ animarũ veſtrarũ, ne qua res vos dimoueat ab Eccleſiæ Catholicæ cõſortio, nec circũferamini omni vẽto doctrinæ, neq; citò trãsferamini ab Euangelio quod à Chriſti ſponſa traditum hactenus ſeruaſtis. Nec facilè moueant animos veſtros epiſtolæ aut libelli, multum manſuetudinis ac pietatis præ ſe ferentes, ſed dijudicate ſpiritus an ex Deo ſint. Solet enim Satanas ſe transfigurare in angelum lucis, quò magis imponat ſimplicibus & incautis.

incautis. Cõsistite firmi in lapide Christo, continete vos in arca, ne pereatis diluuio: manete in nauicula Christi, ne vos fluctus absorbeant: perseuerate in ouili Ecclesiæ, ne fiatis præda lupis ac Satanæ, q nunquã nõ obâbulat venans, quẽ deuoret. Saltẽ expectate religiosissimi Cęsaris ac Principũ, reliquiq; cõsilij decretũ. Per hos enim vt spero, Dominus dignabit̃ hasce rerũ vndas cõponere, q solus imperat mari & consilescit, tantũ nos aliquãtisper vt apparet, dormientẽ vellicemus pijs operib. excitemus claris & indefessis precib⁹. Ex vna secta cõplures indies nascunt̃. Certè prius sinite vt inter illos conueniat, q̃ vosmetipsos huic aut illi addicatis. De singulis inquirere sobria diligẽtia non dat̃ vitio, periculosa est addictio, q̃ simulatq; semel animũ occupauit, adimit iudicij sinceritatẽ, fitq;, vt queq; res nõ ideo nobis pia videat̃, quod est suapte natura pia, scripturis & ratiõi cõsentanea, sed piũ esse videat̃, quodcũq; dogma secta pduxerit. In his reb⁹ si libet estote p̃cipites, q̃ posteriorib. cõsilijs, ac meliorib. corrigi possunt. Iu hoc negotio, quo periclitat̃ salus animarũ vestrarũ, si fortes esse nõ potestis, sitis saltẽ cõtabundi. Blãda dictu sunt ista: Nullus obligat̃ ad cõfitendũ

ſacerdoti, pontificum præſcriptiones de ieiunijs ac delectu ciborũ reijciendę ſunt, Non eſt quur quiſquam ſeſe maceret operibus ſatisfactorijs, Chriſtus dependit abũdè pro nobis, nec ad ſalutem refert bona an mala ſint opera noſtra, tantùm crede illũ pro te redimendo mortuum, & ſalu9 eris, qualiacunq; fuerint opera tua, In Euchariſtia non eſt niſi panis & vinum, Pontificum & epiſcoporum factiones non obligant quenquam, Vota vt ſuſcipienda nõ ſunt, ita reſcindenda ſunt quæ ſuſceperis, Ius contrahendi matrimonij nullius autoritate poteſt cuiquam interdici. Hæc aliáque ſimilia prima ſpecie blandiuntur auribus, ſed etiam atq; etiam videndum eſt, ne poculum melle prælitum, habeat aconitum diſsimulatũ. Eſtote ſimplices ſicut columbæ, ne quem lædatis aut circumueniatis, ſed ijdem eſtote ſapientes ſicut ſerpentes, ne vos Satanas mille inſtructus artib9 circumueniat, corrumpatq́; ſenſus veſtros à ſynceritate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Verũ cohortationi dabitur alius locus: interim paucis attingam ea quæ iſti ſparſerunt libris ęditis apud vos, non perinde ob id, vt vobis me purgem: tales libelli apud cordatos nihil me grauant: ſed quòd exiſti-

mem

mem vos cautiores futuros lecta apologia nostra, quam quanto potero compendio vobis absoluam. Admonueram amicum quendam, ex animo dolens, quòd sese sectis inuoluisset, tamen interim adeò non mutans meam in illum beneuolentiã: vt, quod nunc inter amicissimos rarum est, pecunia quoq; mea paratus fuerim opitulari & exuli, & egeno. Hac occasione nonnihil etiam de sectis horum temporũ admonens, cum ipso nihil aliud expostulãs, nisi quòd meo nomine suis libellis characteribus prægrandibus præfixo, non parùm mihi moueret inuidiæ, adeò, vt amici pro me solliciti, me putarint admonendum. Primùm contempsi, vbi rursus idem factum est, per literas expostulaui, & his editis apud omnes volui purgatus esse. Ea res grauiter offendit quosdam Argentorati, non dubium, quin instinctu illius qui cum expostularam. Nam anteà nullus erat Ecclesiastes, præsertim Argẽtorati, qui me verbo asspergeret, nec cuiquam vt id faceret causam, ni fallor, dedi, nisi fortè contumeliam atrocẽ interpretantur, si quis nolit ab Ecclesia Catholica recedere, & ipsorum Euangelio dare nomen. Epistolam appellãt apologeticam, quasi ipsi propriè

à me sint impetiti: nec cuiusquam nomen habet titulus, tātùm est: per ministros verbi, Ecclesiæ Argentoratēn. Atqui cùm præter duos ecclesiastas neminem norim Argentorati, quî mihi venisset in mentem oēs perstringere? Non est mei moris quenquam lacessere, nedum ignotos, multò minus in vllam remp. petulanter inuehi, præsertim Argentinēsem, cui vt multis nominibus debeo, ita præ cęteris faueo. Hoc certè laudis illi debetur, quòd non alibi res gesta vel moderatiùs, vel minore tumultu. Similiter epistola venit ad me ministorū verbi nomine scripta, cū existimem totius negotij duos tantū architectos esse. Lecto titulo seposui libellū, hoc animo vt nunquā legerem, erat eñ immodica loquacitas, fumi plurimi, conuitia nō pauca: pòst vbi contigit otiū, cœpi carptim inspicere, tandē & deuoraui. Vtinam in animis omniū esset millesima pars eius sanctimoniæ, quam libellus multis locis prę se fert. Non potuerūt sese melius depingere, q̃ in eo libro expresserunt, adeò miris fucis hoc agunt, vt in me concitent oēs Euangelicas ecclesias, sic eñ vocari malunt quàm hæreticas, ac principes qui videntur huic negotio nōnihil fauere, tum populū Euangeli-

cum

eum vniuersum. Quid porrò mirũ, quum isti nouũ prodiderint dogma, fas esse fucis ac technis vti, quod legibus etiam Cæsare is permissum est, modò citra fraudẽ cuiusquã? quasi verò si quid prophanę leges permittunt in re prophana, idem liceat in negotio Euangelico, aut quasi dum primogenitum regis Gallorum dicato libro vocant in suspicionem veluti qui non abhorreat ab istorum instituto, in nullius fraudẽ cedat fucus: dumq; fingunt opus à Gallo scriptum, non onerent Gallorum gentem inuidia. Quin & hoc artis est Euangelicæ, quòd omnium ecclesiarum nomine prodiderunt librũ, ne quis certus sit, in quem stringam telum, & si quid liberius respondero, chorũ vniuersum in me prouocem. Eiusdẽ artis est, quòd toto libro, quicquid in genere dictũ est, propriè detorquent ad ecclesiam Argentinensem. Atqui si sermonem generalẽ voluissent refellere, non ita loquendum erat: nos hic non facimus, sed hoc quod obijcis, nusquã fit in vlla ecclesia nostræ professionis. Rursus quum ego in epistola tester, expressè me nó loqui de omnibus Euangelicis, sed tantùm de mihi notis, illi interpretãtur me, vtcunq; testor, vniuersum tamẽ Euangelicum populum

impetere. Et ſi quid in mores quorundam dictũ eſt, illi nobis narrãt, quid ipſi doceant, vt frequẽter illud prouerbiũ mihi veniat in mentẽ, ἅμας ἀπήτουν, &c. Si q͂d nacti ſunt in ſcriptis meis, quod pro ipſis videt̃ facere, id cum laude mea citant, ſimplici ſcilicet animo, quũ alicubi habeant hęc verba: Si quid Eraſmus actus ſpiritu Chriſti, vel neſciens pro nobis ſcripſerit, &c. quis nõ agnoſcit morſum Euangelicum? Imò non omnes ſectarum profeſſores taxaui, ſed tantùm addictos, qui nõ iudicio, ſed ſtudio mordicus tenẽt quicquid ipſis traditum fuerit. Vix interim temperabam à riſu, quoties ſeſe Chriſto & Apoſtolis martyribusq́ue comparant, quod faciunt ſubinde. Hoc ſibi ſumunt pro confeſſo, quòd docent Chriſtum purè, quòd orbi ſyncerè tradunt Euangelicam veritatem. Vbiq; prædicant literas, quaſi apud nos nec Chriſtus ſit, nec Euangeliũ, nec ſacræ literæ. Ipſi quũ & à ſummo Pontifice, & à Cæſare, & à Theologorũ ſcholis, deniq; maximè totius orbis partis conſenſu damnati ſint hæreſeos, liceat em̃ manifeſta loqui, ſaltẽ nobis ęquũ ius concederẽt, vt hac in cauſa pares ſimus. Ipſi Arrianos habent ꝓ hæreticis. Quo freti, niſi iudicio

præ-

præſulũ & orbis cõſenſu? At Arriani perne gabãt ſeſe hæreticos, ſed aſſeuerabãt ſcripturã à cæteris perperàm intelligi. Miris modis vrgẽt, ne hæretici trucidentᷣ, quum ipſi Anabaptiſtas plectãt capite, q multò pauciorib⁹ articulis dãnati ſunt, & in ſuo ſodalitio plurimos habere dicunt, q à perditiſsima vita, ad emendatiſsimã ſe cõuerterint, vtcunq; delirãt in opinionib⁹, nec vllas Eccleſias aut vrbes occuparũt, nec ſe fœderib⁹ cõmunierunt aduerſus vim principũ, nec quenquã ſua ditione aut facultatib⁹ eiecerũt. Deniq; nituntᷣ & illi ſcripturarũ teſtimonijs aliquãto euidentiorib⁹ q̃ hi qui dicunt: Hoc eſt corpus meũ, id eſt, hic panis eſt ſignũ corporis mei. Atq; inter iſtos quidã tam ꝓcaciter rem gerũt, vt principũ animos ad clementiã propenſos cogãt ad ſæuitiã. In vitã pontificũ, Card. Epiſc. ſacerdotũ ac monachorũ mirè diſerti ſunt, de quibus ita loquuntᷣ, quaſi inter eos nullus ſit nõ ſceleratiſsimæ ac deploratiſsimæ vitæ, quũ arbitrer inter illos eſſe longè plures, q Chriſto in ſynceritate ſpiritus ſeruiũt, quàm inter iſtos. Mẽdacium mihi ſubinde fortiter impingũt, quũ totus hic ſanctiſsimus illorũ liber mendacijs ſcateat & hypocriſi. mirificis pręſtigijs

 exag-

exaggerãt quàm ſobriè, quàm caſtè, q̃ innocẽter viuat ſub Euãgelio, quàm maiore fide alieno ore prædicarent. Quid Argentorati fiat neſcio: Alicubi ſcio nuſquã fuiſſe maiorẽ luxũ, plus adulteriorũ quàm inter Euãgelicos, ſic em̃ appellari gaudẽt. Hoc nec ipſi negant Euangelici, vtinam omnes ad bonam frugẽ ſeſe recipiant, vt hic habear vanus. Nónne Lutherus coactus eſt viſitatores mittere, qui populũ in omnẽ licentiam ruentẽ cohiberent? Nónne idẽ dixit ſe malle priſtinũ Papæ ac monachorum regnum, quàm hoc hominum genus ſub Euangelij prætextu, in Sogdianorum vitam ſeſe proripientium? Nónne idem ſuis ad me literis deplorauit Melanchthon? Nónne idẽ in colloquio faſſus eſt Oecolampadius? Quin & ipſi non ſemel in hoc libro deplorãt plurimos eſſe perditiſsimè viuentes ſub Euãgelij titulo, ſed illos inquiunt execramur, nõ agnoſcimus. Atqui quũ ego nõ in alios ſtringam calamum, quàm quos ipſi quoq; damnãt, nulla eſt inter nos cõtrouerſia, quẽadmodum neq; nos tuemur impiorũ Epiſcoporũ aut improborũ monachorũ ſcelera. Hoc intereſt, quòd illi citra exceptionẽ damnant nos omnes, ego teſtor me non loqui de

mihi

mihi ignotis. Proinde quid frontis habet, quod quæ non dicuntur nisi in improbos, sic interpretantur, quasi in ipsos propriè dicta sint, qui volunt haberi probatissimi? Sed improbo, vt aiunt, ipsorum dogmata, imò profiteor me illic non agere iudicem causæ, quum habeant iudicem Cæsarem, tantùm hoc queror, quòd nihil illis placet in hoc Ecclesiæ statu, quodq; quum tam multa submoueant, nihil succedat melius. Et vtramque partem admoneo, qua ratione posit Ecclesia pristinæ trãquillitati restitui, penè seuerior in meos quàm in illos. Monere quid oporteat fugere, magis est illorum sectam iuuare, quàm traducere. Amicus vtranq; partẽ admoneo, si qua posint in vnũ coalescere. Quod isti veluti plusquã hostiliter factũ interpretanẽ, poterat & ab amico fieri offi ciose. quanquã hoc obscurum esse nõ potest, mihi nõ omnia probari quæ isti faciunt, quę si probassem, nõ tanto meo tũ pe riculo tum dispẽdio, reliquissem ciuitatẽ, cui tot annis assueuerã, sed iam pridẽ ipsorum sodalicio totus adhærerẽ. Etiã cùm agerẽ illic tũ dictis tũ scriptis haud obscurè prę me tuli, me dissentire ab istorũ dogma tib'. Verùm hic homines religiosi scilicet
 no-

nolunt iudicare de mea conſcientia, ſed hoc Deo ſoli καρδιογνώσῃ relinquunt, ſed interim inſinuant eſſe quod metuam aut ſperem, quaſi verò in ſinu cum ipſis ſentiam, ſed metus ac ſpes à profitendo deterreat. Planè me ſpes ac metus deterrent ab iſtorum ſodalitio, metuo gehennam ſi reclamante conſcientia profitear quod reor impium eſſe, ſpero Dominum meis peccatis citiùs propitium futurum, quòd ab ipſius ſponſa non defecerim, vtcunque laceſsitus. Gratulentur illi ſibi quantum velint, ego non alio nomine mihi magis gratulor, quàm quòd nullì ſectæ nec aſſenſus ſim, nec nomen dederim, nec videor mihi daturus vnquã fauente Chriſto. Quin omnibus perlubens perſuaſerim, ne ſe cuiquã addicant ſectæ, quam non agnoſcit Eccleſia catholica. Sunt qui cum iudicio legunt iſtorum libros, at ego multos noui, qui ſimulatq; ſeſe addixerant, prorſus exuerint hominem. Fingunt me miro odio flagrare in Euangelicos: id ſi verum fuiſſet, aliter ſtrinxiſſem in illos calamum. Sed primùm religione quadã abſtinui, cuius rei nunc me pœnitet, deinde Gamalielem quendam egi, & adhuc propemodum ago. Poſtremò quũ viderem multos Eccleſiæ proceres

ceres ad omnia monita obſurduiſſe,ſuſpicabar hos immiſſos à Deo,vt eorũ improbitas excitaret nos à lethargo,ac malũ nodum malus cuneus protruderet. Adeoque non ſequij in illos, vt magnates quidam ac docti me clamitẽt in hoc rerum conflictu deſertorem egiſſe, meumq́; calamum Eccleſiæ periclitanti defuiſſe, nõnulli etiam in ſuſpicionem vocarint quaſi diſsimulanter iſtorum inſtituto fauerem. Me quidem nihil mouet verborum religio, folia ſunt iſta,at ex fructibus,inquit Dominus, cognoſcetis eos. Eiuſmodi fumis nihil commoueor, vim ſpiritus requiro, quam in iſtorum ſcriptis non ſentio, quum hac in re exiſtimem mihi quoque nonnihil eſſe naſi. Sed tamen huiuſmodi verborũ præſtigijs periclitantur incauti. Fuit hoc ſemper proprium hæreticis ſimulata religionis ſpecie ſimplicibus imponere. Maximinus Arrianus penè ſanctius ac religioſius loquitur quàm Auguſtinus. Manichæi non ſolùm dictis , ſed prodigioſa vitæ ſeueritate pietatem ſimulabant. Si quos agit ſpiritus ſanctus,non ſolùm in actionibus, ſed etiam in oculis ipſaq́;,quod aiunt,frõte relucet. At hunc arrogant iſti ſibi magnã cõfidentia.Quòd ſi Zuuinglius & Bu-

 cerus

cerus ſunt afflati ſpiritu, quid prohibet & in noſtris eſſe, ſimili donatos chariſmate? Eraſmus ex ſe nihil eſt niſi homo, nec poteſt capere quę ſunt ſpiritus. quaſi verò iſti ſint dij. At ego homo ſequor illos, quibus non defuiſſe Chriſti ſpiritũ credimus aliquanto probabilius, quàm ſi credamus Bucerum aut alium huic ſimilem ex afflatu ſacri ſpiritus ſcribere aut facere omnia. Sed vt verboſiſsimam iſtius quiſquis eſt, querimoniam in pauca conferam, prætermitto prolixam rixam, qua cum Plinio & Tacito delitigat, ea quæ propius ad rem pertinent, delibabo. Quum, vt dixi, non loquar niſi de mihi notis & cõpertis, nec his omnibus, nec vllum crimen cuiquam obijciam niſi in genere, tamen aiunt, me omnia fermè in eos effudiſſe, quæ ſæuiſsimi quiq; hoſtes hactenus voce ſcriptiſq; ſparſerunt. Quiſquis meã legit epiſtolam, an non protinus videbit hoc eſſe manifeſtum mendacium? Ne, ea quidem effutiui, quæ vulgo notiſsima ferunt̃, atq; adeò diligẽter caui, ne quid excideret, quod Vulturij etiã famæ poſſet officere. quæ vulgo in iſtos iactent̃ nihil moror, nec ad me ptinẽt. At ſunt nõ pauci, q libris editis hæreticos, ſchiſmaticos, hoſtes Eccleſiæ, blaſphemos

mos ſubinde vocent. Quod tale legit in libris meis? Verũ ipſi, quò mihi mouerẽt inuidiã, ex epiſtolis meis ſublegerũt quædã verbula, ex quorũ ſingulis excitant miras tragędias, nuſquã nõ ex muſca faciẽtes elephantũ, aut ſi quid elephãto grãdius. At ſi ea verbula tantã habent vim, vt vniuerſos principes in ipſorũ exitiũ concitẽt, quanto melius latebãt in turba epiſtolarũ? Et ſi tãtoperè periclitat̃, quòd mihi nõ placeat populus euangelicus, ante cõplures annos hoc ingenuè ꝓfeſſus ſum, editis libris. Quę muſca fuit illis per me infeſtior? Hic ſi cõmemorẽ quid alij narrẽt, q̃d ſcripſerint de eccleſiaſtis, tum demũ fieret euidẽtior iſtius vanitas. In epiſtola ad Vulturiũ neminẽ taxo nominatim, nec alios noto quàm quos ipſi quoq; deteſtant̃, præter vnũ atq; alterũ. Nec horũ tamẽ arcana ꝓfero, ſed ea tãtùm attingo, q̃ ipſi ſcriptis editis voluerũt eſſe nota mundo. Quòd ſi ſe voluiſſent purgare de criminibꝰ, ſunt alij q̃bus oportuerit reſpõdere potiꝰ, q̃ mihi. Quorſum igit̃ attinẽt illa vaniſsima toties repetita, ꝙ luculenta mẽdacia, ꝙ atrociſsima crimina in innocuos Chriſti confeſſores effuderit Eraſmꝰ? Dicit alicubi, ne nobis parcas Eraſme, effunde in nos q̃cq̃d habes. Nunq̃ me huc

huc prouocabunt, vt tam abiectè calumniatorem agam, & ad tantam descendam illiberalitatem. Hanc prouinciam alijs, si libet delegent. Tot scripsimus apologias, aduersus quem vnquam quantumuis petulanté criminibus egimus? Ab hac ciuilitate nullius me depellet improbitas. Quin & illud non minus vanum quàm seditiosum, quòd scribit me per totam ad ter venerandum Vulturium epistolam queri, quòd spernant constitutiones pontificũ & episcoporum, quòd oppedant scholasticorum dogmatibus, quòd imagines eiecerint, quòd missam abrogarint, aliaq; permulta, quum ipsa epistola declaret me tãtùm queri, quòd quum ista nouarint, nihil succedat melius: & si maximè damnarem quod isti faciunt, quid aliud facerem, quàm quod iampridem fecit Ecclesia Catholica? Certè in totum sublata ista nunquam probaui, nec probaturus sum, correcta cuperem permulta. Hic verò nobis recensent longum Ecclesiarum Catalogum, quas omnes hæc mea damnet epistola. Enumerent sexcentas ecclesias, vna Catholica plus apud me ponderis habet, nec hoc cupio dissimulatũ, me istas Ecclesias si tales sunt, qualis hic partim vidimus,

par-

partim audimus, non probare, nec istam inuidiam magnopere formidamus. Illud tribuit insigni cuidam improbitati, quòd scripserim istos veritatem euangelicam plus mille annis sepultam in lucem reuocare, &c. Negant vnquam tale aliquid ab ipsis auditum. A quibus? Ab Argentinensibus Ecclesiastis? In illos propriè nõ scripsi, sed in genere in totam cohortem. Legant quæ iactat Lutherus de suo euangelio, videant quomodo tractarit probatissimos Ecclesiæ doctores, ac tum me vanitatis arguant. Quid Argentorati loquantur nescio, quãquam quum doceant summam impietatem, & idololatriam esse adorare Eucharistiam, quod factum est ante ætatem Augustini & Cypriani, & vt est credendum ab ipsis traditum Apostolis, nónne damnant totam Ecclesiam? Confugiant ipsi ad illam nulli cognitam Ecclesiam, sub cuius titulo cuique liceret quodlibet. Si quid tribuendum externis quoq; iudicijs, mihi tot Patrum, tot Conciliorũ, & orbis Christiani consensus pro oraculo est, maximè cùm & scripturę stent à nobis. Reuocant (vt aiunt) veteris Ecclesiæ ritus, reuocent potius veteris Ecclesiæ sanctimonia. Ritus ἀδιάφορα sunt, nec pios faciunt,

ciũt, nec impios, & ante annos mille quin gentos ſcripſit Petrus: Obedite præpoſitis veſtris, non ſolũ cõmodis, verũetiam diffi cilibus. Iſta externa pro tẽporum ratione mutari poſſunt. Et Paul⁹ poſt Chriſtũ mul ta inſtituit in Eccleſijs pro illius ætatis ratione. Ex ſeſe nõ magni refert linea veſtẽ qs miniſtret altari an lanea, ſed magni refert, an in altari credas adeſſe Chriſtũ, an panẽ ac vinũ tantũ. Quòd ſi nemini licet inſtituere quicquam præter id quod ſcripturis cõtinetur, quur Ioãnes Baptiſta ſuis diſcipulis præſcripſit certas preces, certaq́; ieiunia? Cur Iacobus Hieroſolymorũ epiſcopus decreuit de ſuffocato, ſanguine, & immolato ſimulachris, quod nulla ſcriptura gentibus præſcripſerat? Quur poſt hoc decretum Paulus auſus eſt dicere: Omnia munda mundis: Et, Omne quod in macello vænit, comedite. Quur noſtri maiores auſi ſunt pro tẽporis qualitate diuerſum ſtatuere? niſi fortè nobis fas nõ eſt veſci gallina ſuffocata, aut fartis ex ſanguine? Poſtremò ſi nihil aliud ꝓponũt, quàm quod fuit ab Apoſtolis conſtitutum, quur ipſis autoribus viri ac mulieres promiſcuè canunt in Eccleſia? quũ Paulus ſanxerit, ne qua mulier loqueretur in Eccleſia? Ad hæc cuius

cuius Apostoli institutũ est, vt psalmi canã tur redacti in rythmos in fine concinẽtes, mutatis etiã, quod est necesse, multis verbis? Proponũt nobis summã fidei suæ, mul ta repetentes de tribus personis, eiusdem essentiæ, de patre qui per filiũ suũ redemit genus mortalium, de sancto spiritu, qui operatus est per sanctos Apostolos, deq; similibus, quasi nos dãnemus totã ipsorum doctrinã, aut quasi Arriani nõ habuerint plura cũ catholicis cõmunia, quàm isti no biscum. Sed interim sibi cõstanter sumũt afflatũ spiritus Christi, cæteros dissentien tes tradũt Satanæ. Improbata verò dogma ta sua tectioribus verbis admiscent, veluti nõ esse nisi duo sacramenta, Baptismũ infantulis non salutis, sed honoris causa dari, qui tamẽ nõ prosit nisi p̃destinatis, imò nulli sit necessarius: in Eucharistia nõ esse verũ corpus & sanguinem Domini, itaque à Christo dictũ, hoc est corpus meũ, vt ab Ezechiele dictũ, hæc est Hierusalẽ, mirum audis argumentum & ineuitabile telum. Frequenter hoc inculcant, mirè gloriãtes se huius noui dogmatis autores, à solo Christo petendam salutem, quasi nos peta mus à diuis, aut ab imaginibus, aut à sacrificis salutem. Atqui quum peccator

sibi

ſibi ipſi diſplicens, nondum tamen valēs à vitijs recedere, ambit piorum hominum preces, vt per illos impetret bonam mentem, num ab alio petit ſalutem, quàm à Chriſto? Non ab alio, ſed per alium. Idem dici poteſt de diuis. Iam quum reddunt rationem, quare Miſſas, preces horarias, & cantum, aliaque ſuſtulerint, ita loquūtur, quaſi nullus hæc piè tractauerit vſquàm tractétve, quaſi ob quorundam vitia res per ſe ſalutares debeant funditus tolli potius quàm repurgari. Si protinus tollendū quo plures abutuntur, iſtorum Euangelium eſſet tollendum, ſub cuius vmbra tam multi perditiſsimè viuūt, id quod nec ipſi negant: Tollenda poteſtas principum ac magiſtratuum, quòd innumeri ſua poteſtate ad quæſtum, rapinas ac tyrannidem abutuntur. Denique quid erit tandem reliquum in rebus humanis? Sed magiſtratibus plurimum tribuunt, quibus à Deo datus eſt gladius ad vindictā malorum, laudem verò bonorum. Atqui gladium habent & qui damnant ac puniunt iſta profitentes, quæ docent, vt ſchiſmaticos & hæreticos. Quur his non obtemperant? quur non obediunt ſummæ poteſtati Cæſaris ac Regum? Sed oportet, inquiunt, magis
obedire

obedire Deo, quàm hominib⁹. Atqui prophanus magistratus nõ iudicat nisi de his quæ palàm legibus vetãtur, de fide Catholica sunt alij iudices. Horum iudicium sequutus Cæsar, plectit illos si nolint resipiscere. At istorũ magistrat⁹ vnde docti sunt? Ab ipsis reis, non enim dicam hæreticis. Et Pontificum & Episcoporũ potestas à Deo est, quur hanc non agnoscunt? Non habent, inquiunt, nisi gladiũ verbi. Sed hoc gladio iugulati sunt isti ac traditi Satanæ. Immeritò inquiunt. Quo argumento? Quia contra diuinas scripturas fulmina vibrant in innoxios. Sed harum interpretationem sibi propriè sumunt, quum interim inter se de re tanta dissentiant. Ita denique fiet, vt nulla scriptura valeat, nisi iuxta sensum ipsorum, nulli magistratui sit obediendum, nisi qui ipsis consentiat. Nõ est, inquiunt, magistratui parendum, nisi iuxta scripturæ diuinæ regulas vtatur potestate. Scripturas autem interpretari, nostrum est, non aliorum. Agnoscunt publicam potestatem in omnibus, quæ non adigunt ad impietatem. At quæ tandem impietas est certis diebus à cœna temperare, ijs qui hoc citra corporis incommodum, imò cũ animi & corporis cõmodo facere

possunt? Quæ impietas est canere laudes Deo in templis aut dicere preces horarias? Dicuntur, inquiunt, ad quæstum, dicuntur lingua tantùm. At non ab omnibus, imò permulti psallunt lingua simul & affectu. Cæteri sedulò monentur, vt qui psallunt spiritu, psallant & mente, monentur vt præcipuè spectent vtilitatẽ proximi potius, quàm quæstum. Quanquam & hic dignus est operatius mercede sua. Qui altari seruit, quocunque modo, par est, vt de altari viuat. Verũ sacerdotes, inquiunt, nõ viuunt de altari, sed luxuriantũ Ecclesię stipendijs. Luxus igitur amputetũ, non sacerdotium. Perlubenter aũt rogauerim istos, an in templis ipsorum omnes canant mẽte. Longè aliter narrãt, qui versantur in illorũ cœtu, nõ Catholici, sed illius professionis homines, qui cõfirmant iam dudum plerisq; à viris fastidiri cãtiunculas, quod à me ceu malitiose dictũ quiritãtur in hospitã ciuitatem. quid hoc ad dignitatẽ ciuitatis, si qui refrixerũt ad pietatem? Hoc incõmodum illi cum omnibus ciuitatibus est commune. Nimium felix futura sit, si nihil haberet, quod mutatum cuperet. Dicent, vti solent, hoc luculentum mendacium à perditissimis nebulo-
bulo-

bulonibus ad me delatum. Miram Euangelicam modestiã, perditissimos nebulones appellat, ignarus in quos hoc dictum iaciatur. At si eos nominem, qui mihi quædam retulerunt, puderet nimirum, si quid frontis habet, tales appellare perditissimos nebulones. Nunc hoc vt alia pleraq;, mihi retulerunt, qui sectæ isti dedere nomen. Si populus Euangelicus fouet perditissimos nebulones, quur mihi indignantur, quum in quibusdam desidero mores Euangelio digniores? Iidem referebant multos sic adesse concioni, vt satis præ se ferant, nihil affici ijs quæ dicuntur, sed tantùm adesse, ne videant̃ deesse sectæ suę. Quòd si Ecclesiastæ tanta sæuitia clamitarent in vitia suorum, quàm clamitant in vitia sacerdotum, demirabor, si tres habituri sint auditores. Sed Argẽtorati canunt omnes, & quidem frequentes. Vtinam illorum cantiones Deum ita deliniant, vt eum nobis ex irato reddant propitium. Sed quur hoc memorãt, quum ego de Argentoratensibus non sim locutus? Quòd verò scribunt hos esse mores Ecclesiarum ipsorum, vt sobrietatem amplectantur, quæ minimũ absit à ieiunio, scio multos etiam Symmystas non sine risu lecturos.

De Argentinensibus quod crebrò repetendum est, non loquor, non noui quid illic agatur. De his loquor, quos mihi propius nosse contigit. Sed Paulus Apostolus in suis, vt aiunt, Ecclesijs tulit ebriosos, contentiosos, fraudatores, iudaissantes, & cæt. fateor: Sed in hos acriter inuehitur, oportunè, importunè, arguens, increpans, obsecrans, quosdam etiam tradidit Satanæ. An isti idem faciant, ipsi viderint. Mihi tale nihil vnquam auditum est. Idem Paulus vetat cibum capere cum eo, qui cùm fratris, hoc est Christiani titulo commendetur, tamen auarus sit, aut adulter, aut maledicus. Num idem isti faciunt? Sed mirum non est, si qui nuper venerant à contaminatissima vita, ab idolis ac profundis ignorantiæ tenebris, subitò fingi ad perfectum Christianismum non possent. Verùm isti, vnde quæso venerunt? A Christianismo ad Euangelium, nonnulli à sacerdotio ac monachismo. Adhæc quî scire potuit hic scriptor, qui mores sint in omnibus ipsorum Ecclesijs? Et si tales sunt vbique mores, quid opus erat Luthero visitatoribus, qui suos à paganismo reuocarent? Postremò sic colligunt: Si Paulus & Erasmus non damnant

suas

ſuas Eccleſias, quum habeant multos impuræ vitæ admixtos, quur à nobis plus exigit? Imò quur ipſi ſuas Eccleſias damnari nolũt ob admixtos malos, & noſtras damnãt eadem de cauſa? Quanquam alijs eſſet in promptu quod reſponderent, in Eccleſia Catholica paratam eſſe remiſsionem peccatorum, quum in hęreſi malè viuant, etiam qui benè viuunt. Quanquam & hoc falſum eſt, quòd illorum Eccleſias in totum damno. Habent illæ ſuos iudices, tantùm ab his qui tanta fiducia ſibi vendicant ſpiritum Chriſti, tanta libertate clamant in mores omnium, requiro, vt plus in vita præſtent ſanctimoniæ, quàm adhuc videmus. Illud non video, quur exiſtimarit commemorãdum. Ait ſe noſſe quẽdam inſignis Eccleſiæ Canonicum, qui dixerit, iam nullum Tiguri poſſe haberi ſcortillum, quo hoſpiti gratificẽtur, quum ingens antequam irrepſiſſet hoc Euangelium, elegantium ſcortorum illic fuerit copia. Hunc locum oſtendi Canonico quem petere videntur: Nam addunt quædam verba, vnde deprehendi poſsit, de quo ſentiunt. Is ridens nęgauit ſe vnquam in vita quicquam tale à quoquã audiſſe, tantum abeſſe vt ipſe hoc dixerit. Et

est is vir omnium testimonio, quum aliàs vitæ inculpatissimæ, tum homo minimè vanus. Simili candore perstringit & alium quendam vicedecanum, additis aliquot notulis, vnde curiosus percipere valeat, quem mordeat. Eum ait malè audire, quòd constuprare soleat alienas vxores, quum ego qui domesticam cum illo consuetudinem egi, nullum vnquam impudicitiæ vestigium in eo deprehenderim, vel dicto, vel facto, & longè alium de illo rumorem esse sciunt, qui noue runt hominem. Sed Canonico malè volunt, quòd de secta ipsorum parum benè sentiat; vicedecanum oderunt, quòd initiò visus in istos propensior, maturè resilierit. Quàm hęc indecorè scribunt ab eis, qui de se nihil dici volunt, nisi quod oculis conspexeris, manibus cõtrectaris. Malè audiunt (inquiunt) sed fingamus vtrunq; verum esse, quod rumor detulit, an ideo purgati sunt ipsi ab omnibus criminibus, quòd vno falso sunt impetiti? An ideo deficiendum est ab Ecclesia Catholica, quòd vnum habeat vicedecanum adulterijs inquinatum? Iam quod scribit, quæ sacerdotibus eripiuntur, in subsidiũ pauperum & studiosorum conuerti, hoc an

Argentorati fiat nescio, noui certè vbi secùs fiat. Ac vereor ne pluribus locis id accidat, quàm expediat. quod autem ius habeant in sacerdotes, viderint ipsi, nam addit pro suo iure. Cum magistratibus mihi non est concertatio. Habent Cæsarem, certè Deum habent, cui reddituri sunt rationem. Et si quid delinqueret magistratus, cui potius imputãdum, quàm his qui velut è scripturarum autoritate persuadent hæc piè fieri? Criminantur & illud, quod scripsi, quotquot in locis regnat hoc nouum Euangelium, ibi frigere studia literarum. Norembergæ, inquit, sunt decreta satis ampla salaria linguarum professoribus. Scio, sed qui illic viuunt, scribunt auditores esse penè nullos, & professores nõ esse minus pigros ad docendum, quàm auditores ad discendũ, vt nõ minus opus sit salario discipulis quàm doctoribus. quid istorũ scholæ quas habent perq; vrbes, perq; pagos sparsas, nobis pariture sint, nescio, hactenus neminẽ audiui, qui in secta didicerit literas. Pelliciunt doctos salarijs, & literatos iuuenes artibus attrahunt, vt per hos commendentur, magna studiorũ inuidia. Sed magni refert, quid in scholis eorum tradatur. Dogmata &

linguæ potiſsimùm. At iſtorum dogmata non omnibus conueniunt, nec linguę abſoluunt eruditionem. At non video, quo pacto conſentaneum ſit fore, qui magni faciant diſciplinas, quum nullus honos huc inuitet? Sublato ſacerdotio, ac ritibus Eccleſiaſticis, adempta ſpe fortunarum ac dignitatũ, ad quas antehac literæ prouehebant, quis vellet grauibus impendijs curare liberos erudiendos? Porrò quòd ſcribit hoc eſſe ſuæ charitatis ſacerdotes ac monachos, quibus non ſuppetit aliunde vnde viuant, ſuis emolumentis minimè ſpoliare. Fortaſsis id fit Argentorati, at quibuſdam in locis non ſine riſu legetur. Datur aliquid his qui ſacram veſtem volunt ponere, & ipſorum parere legibus, reliquis licet ire quò velint, ne id quidem integris facultatibus. Quis autem æquo animo ferat tutorem, qui ſuo arbitrio adimat ipſius facultatibus? Quemadmodum nec illud abſque riſu legetur, quòd aiunt ſe neminem velle lædere, neminem cogere, à ſeditione longè lateq; abhorrere, minimis ſalarijs contentos prædicare Euangelium. An contenti ſint DEUS nouit, illud in confeſſo eſt, quoſdam gnauiter egiſſe cum magiſtratu de augendo ſalario. Sed

faciat

faciat magiſtratus periculum, offerat cuiq; concionatori aureos mille: ſi recuſant, fatebor illos eſſe cõtentos ſuis ſalarijs. Quid autem hoc eſt, neminem lædere? Hoccine eſt neminem lædere, canonicos depellere à collegijs, monachos è monaſterijs, Abbates & Epiſcopos ditione ſpoliare, mouere ciues magiſtratu, virulentis libellis etiam in regum ac principum capita debacchari? Hæccine longè lateque diſcrepant à ſeditione. Neminem, inquit, occidimus, his nimirum habenda gratia qui ceſſerunt, alioqui vidiſſemus cruentam pugnam. Ne piratæ quenquam occidunt, ſi nemo reſiſtat. Hæc an nuſquàm fiant, alijs relinquo iudicandum. Atroces certè multorum querimonias audimus quotidie. Non eſt Euangelica virtus neminem lędere, qui te non lædat, ſed immane ſcelus eſt lædere innocuum. At maleficium beneficio repenſare, id demum eſt Euãgelicum. Nos, inquit, ſinimus hoſtes noſtros inter nos tutò viuere. An hoc vbique fiat dubito. Quos autem vocant hoſtes, omnes Catholicos? Quid magni faciunt? An non & ipſi quotidie veniunt ad alias vrbes, vel animi gratia, vel negotiandi cauſa? At idem non nõ eſt tutum Eccleſiaſtis, nec noſtris

Episcopis tutũ est apud ipsos versari. Præterea nihil interesse censet inter dãnatos & non damnatos? Nos certè nemo damnauit. Et tamen quot damnati feruntur ac dissimulantur apud nos? Quòd si nulli læduntur, quur tam multi cesserunt è suis vrbibus? Cur apud Cæsarem querelarum plena sunt omnia? Licet illis, inquit, nobiscũ viuere ciuium iure. Quàm verò suaue viuere cum illis, quos habent pro hæreticis, & illorum iugo præbere ceruicem? Qui si persisterent in sua fide, quam putant esse syncerissimam, non sunt ignari, quem fauorem magistratus ac populi sint experturi, si quid secùs, vt sunt res humanæ, accidat. At non sumus, inquiunt, hæretici. Vt non sint, illis tamen persuasum est magnis autoribus, si errant, errant cum tot scholis, cum Pontifice, cum Cæsare. An hoc non est cogere: nisi audis nostras lectiones, nihil ex præbenda numerabitur? Ne quis proficiscatur tali die ad tale festum, ne quis audiat missam, aut accipiat Eucharistiam in vicinis pagis, si fecerit, libra damnas esto. Nisi quis accesserit tempore Paschæ ad mensam Ecclesiastæ sumpturus panem & vinum pro Christo, expectet senatus iudicium. Hæc

si ne-

ſi negabunt Argentorati fieri, non admodum reluctabor: ſin affirmabunt nuſquã fieri, nihil aliud quàm impudentiæ notam lucrifacient. Quî verò poteſt eſſe ſyncerus amor inter eos, qui religione diſsident? Et hac de cauſa impar coniugium prohibuit Eccleſia contrahi. Hic mihi patebat dicendi campus latiſsimus, ſed quid attinet ea commemorare, quæ vulgo decantatiſsima ſunt? Fateor in nulla ciuitate rem moderatius geſtam quàm Argentorati. Nam imagines non videbantur abiecturi, niſi fœderis legibus coacti. Poſt hęc dilutur⁹ crimina, quæ, vt ait, ipſis impingo, precatur, vt ſi purgandi ſui cauſa vſquam à vero receſſerit, aut quicquam reticuerit, dicẽdóve obſcurauerit, vt Chriſtus id manifeſta vltione orbi declaret, Amen. Hæc præfatus in ipſa ſtatim criminum propoſitione recedit à vero. Principiò ſcripſi illos artibus vti Euangelica profeſsione indignis, tum ei quoq; negotio, quod agunt, officientibus. Id ita recenſet, quaſi crimen hoc impingam omnibus eccleſiaſtis, quum in epiſtola paucis notem. Atque hoc eſt vnum crimen, quo tot egregias Eccleſias vſque ad Phryſiam Orientalem porrectas intolerabili

iniuria affeci. Verùm admiror hoc illos vocare crimen, quum ipsi libris editis profiteantur esse phas Euangelium fucis ac technis promouere. Hoc crimen non erat diluendum, sed ego magis notandus stultitiæ, qui rem honestam pro crimine obiecerim. Alterum erat, quòd scripseram illos diuersam ab Apostolis causam agere. Hoc certè obscurè dictum est ab isto. Scripsi non esse eandem rationem negotij apostolici & istorum, sed procliuius fuisse quod agebant Apostoli, quàm quod isti moliuntur. Deinde quòd addunt, nulla vitæ innocentia instructos, nusquàm est in epistola mea: tantùm aio, quòd si vita quoque non solùm non commendat doctrinam vestram, sed potius abrogat, &c. Vbi nunc est Christus vltor? Addiderunt & illud de suo, tanquam in hoc deuotis animis simus vt omniũ rerum πανολεθρίαν inuehamus. Hoc nusquam est in meis scriptis. Tantùm dixi me metuere funestum huius negotij exitum, & vtinam vanus sim augur. Qui sibi tantum permisit in ipso limine, quid ab hoc expectãdum est in progressu? Fateor, expostulaui cum eo cui tũ scripsi, quòd iam bis editis libellis, quibus meum nomen maiusculis præfixerat, & me

voca-

vocaret in inuidiã, nec suæ causæ prodesset. Id quoniam visum est illi facinus lepidum, tertiò iam idem fecit. Quem si scissem esse talem, qualem se declarauit, syllaba cum eo non expostulassem. Putabam me amico scribere, nec suspicabar tantam euangelij metamorphosim. Etiam si ex animo fauerem istorum causæ, admonerẽ talibus libellis, quales ille prodit, nihil aliud quàm irritari principes, & impediri quod agunt. Licet, inquiunt, ex editis libris, & iam omniũ factis excerpere, quod videtur. Sed quid sibi volebant illæ prægrandes literæ? Quid tale exordium talibus epistolis præfixum? Nihil, inquiunt, erat in illis seditiosum. An nõ seditiosum hortari principes, vt facultates adimant sacerdotibus ac monachis & in vsum pauperum conferant? quasi hoc soleant facere principes, nec dubium est, quin sentiant de pauperibus euangelicis. Quur ex vno me citauit aliquid, quum Io. Brentius toto libello nihil aliud agat, quàm de non occidendis hæreticis? Ego Theologos ac monachos admoneo Christianæ clementiæ, quorum aliquot videmus adeo propensos ad occidendũ, vt si principes illorum animis obtemperassent, vidissemus

ingen-

ingentem ſtragem hominum. Quin & ipſos principes ab occidendo, deterreo, ſi liceat alijs ratiõibus mederi malo: verùm quos ego illic voco hæreticos, ille vocat innocentes. Nec illud verũ eſt, licere quouis modo ex aliorum ſcriptis decerpere. Ex diſputatione, ſi quædam per ſe referas, videbuntur peſsimè dicta, ſi in cõtextu legas, non eſt cur reprehendas. Stunica quũ me maximè vellet grauare inuidia, quid aliud fecit quàm quòd ex lucubrationibus meis loca quædam congeſsit? Sed per me ſanè ludat vt lubet Vulturius, apud cordatos nihil me lædet, ipſe, ni cauerit, aliquando impinget in ſuũ Temeſæum genium. Paulus, inquiunt, titulum aræ apud Athenienſes torſit in argumentum Euangelij. Primum probabilius eſt verum eſſe quòd Paulus narrat illic aram fuiſſe titulo ignoti Dei. Sed vt donemus eſſe verum, quod prodidit Hieronymus, Nónne his verbis, reliquiſq; dijs ignotis, comprehenſus eſt & verus Deus? Quid igitur fuci fecit Paulus? Merus autem fucus eſt, quòd (vt aiunt) mea verba ſimplici animo, bonaque fide citarint. Ipſa res aliud loquitur. At quæ tandem eſt iſta veritas, quæ nobis inuitis erupit? Mira vox ſit oportet,

quam

quam per me, veluti per asinam Balaam, expresit spiritus. Hortatus sum (inquit) ad spiritualem sumptionem corporis & sanguinis Christi, sine qua corporalis illa non solùm nihil prodest, verumetiam exitialis est. quid hoc facit ad istorum impium dogma? An non Paulus idem suasit Corinthijs? An non Augustinus? An non idem hodie quicquid est orthodoxorum Theologorum? An hinc sequitur in Eucharistia nihil esse præter panem & vinum? Non pudet hæc tam absurda libris editis ingerere oculis hominum? Nunc bellè excusatur Pellicanus, à cuius nomine tamen mea temperauit epistola, quod iste pro sua ciuilitate ad inuidiam mei putauit addendum, qui fassus est se multis dixisse, quòd cum ipso de Eucharistia sentirem idem, mihi fassus est se tale nihil vnquam ex me audisse. Sed suspicatus est, inquit, te consentire. Vnde? quia spiritualem manducationem laudaui, vt præcipuam? quid hoc ad rem? Num ideo non sparsit nouum rumorem? quin idem suspicabantur illi de Paulo & Augustino, & omnibus Theologis, in quorum scriptis idem legitur, quod in meis? Quis autem

tam ſtupidus eſt, vt in epiſtolis, quas vrbem relicturus edidit, nō ſentiat illius obliquas ſtrophas laudatæ prudentiæ? Semel reſponderam ſenatui me de Euchariſtia ſentire cum Eccleſia Catholica: Apud ipſum Pellicanum teſtatus ſum me ab ea ſententia, quam tum primùm apud me profitebatur, prorſus abhorrere. Quid opus erat illis obliquis epiſtolis? Quid opus erat precibus armatis, ad quas hortatur magiſtratum? Sed eam epiſtolā iſti non viderunt. At Guardianus, qui præerat reliquijs eius ſodalitatis, eā in cubiculo Pellicani reperit. Is qui vidit mihi narrauit. Sed armatas, inquiunt, non intellexit violentas. Nam id eſſet leuitatis eximiæ. quid igitur dixit armatas? blandas opinor & amicas. Quaſi non fuerit illic à quibuſdam populariter iactatum, me debere teneri, nec dimitti, donec de ſingulis quid ſentirem ederem. Sciebam quid quidam audire cuperent. Si quid dixiſſem catholicè, futurus eram prudens & callidus diſsimulator: Si gratificatus fuiſſem quorundā auribus, & corpus & animum meum expo ſuiſſem periculo. De facto nulla eſt ambiguitas, armatæ preces non aliæ ſunt quàm quæ vim addunt recuſanti, proinde non

ineptè

ineptè pronunciant in ſuum ſymmyſtẽ, factũ hoc eſſe eximiæ improbitatis. Ego nihil aliud dico, quàm eiuſmodi facta nõ reſpondere Euangelio. Nónne pulchrè defenſus eſt Pellicanus? Inuitus ad iſta deſcendo, in quibus dum ciuilitatem meam tueri conor, interdum mihi prodenda eſt cauſa mea. De Pellicano nihil queſtus ſum, niſi quod ipſe ſcripto voluit plurimis eſſe notum. Miſeret me veteris amici potius, quàm iraſcor homini. Nihil ſimile in eo deprehendi, priuſquam decreuiſſet totus eſſe Euangelicus. Supereſt defendẽdus Leopoldus, qui inſcio, vt aiunt, Pellicano librum ſuum confecit. Vnde id ſciunt? credunt. At aliud narrabant, qui veniebant Tiguro. Non diſsimulauit, inquiunt, Leopoldus ſuum nomen, vt mentitus eſt Eraſmus. quis pro Ludouico Leopoldo intelligeret Leonem Iudæum, niſi fortè ſymmyſtæ? quis autor ſuum nomen adijcit in calce libri in angulum? Sic autẽ erat adiectũ, vt magis videri poſſet typographi. Sed Leopoldus, vt aiunt, nuſquam dicit me ſentire cum Luthero, tãtùm mea quædam bona fide recitauit. At quiſquis legerit illius libellum ac meam reſponſionem, intelliget illum nihil aliud agere,

quàm vt insinuet me sentire, quod ipsi docent de Eucharistia: quod idem sentire vult Lutherum. Recitat, vt inquit, mea verba, vt recitet, stultè colligit: Imò nē recitat quidem verba mea, sed frequenter impudentissimè deprauat, truncatimque refert. Prima statim citatione, vide quantum mendacium: in plerisq;, vt ait, locis appello panē & vinum Eucharistiæ symbola, hoc est signa & symbolicum panem, quum hæc verba nusquam sint in scriptis meis, sed audiuit ab aliquo, nam Leopoldus videtur mea non legisse. Dubitat tamen, an hoc dixerim in querela pacis, an in Enchiridio, an in alio quopiā librorum meorum. Vides bonam citantis fidem? Verba quæ citat ex Enchiridio cap. 1. deprauatè citat. Imò eo ipso in loco carnem & sanguinem appello his verbis: Christus contempsit carnis suæ manducationem, & sanguinis potum, nisi & spiritualiter edatur atque bibatur. Et hic est locus qui palàm declarat, quid cælem in corde metu Pontificis ac Cæsaris, homo videlicet meticulosus. Nam & hoc præstruxit: Si diuersum, inquit Leopoldus, sentiret Erasmus, scriberet aduersus eos, qui negāt veritatē corporis & sanguinis in eucharistia.

Qui

Qui ſic loquitur, nónne dicit me cũ ipſis ſentire? quin & ſententiã meam, quam ſenatui Baſileenſi ſcripto tradidi, deprauatè refert. Ea quum palàm profiteat̃ me ſentire cum Eccleſia Catholica, ac diſſentire ab Oecolampadio, tamẽ hic ita loquitur: Vides hic quid dicat bonus ille vir, modò velis intelligere. Itidẽ ſtultiſsimè refert annotationẽ in Marci cap. 14. quum illic ꝓnunciem hæreticũ eſſe, negare in Euchariſtia veritatem corporis & ſanguinis. Addunt locũ ex Paraphraſi in prior. ad Cor. cap. x. & xi. vbi iactat me palàm multisq́; verbis ſatis ſignificare in Euchariſtia eſſe panẽ & vinum. quum illic habeantur hæc mea verba: Nos quoq; baptiſmo purgati ſumus, ex æquo ſacroſancti corporis cibo veſcimur, de calice myſtico bibimus oẽs. Ibidẽ crebrò repeto hæc verba, Corpus & ſanguis Dñi. At ibidẽ corpus Chriſti voco panẽ, voco, ſed addo, ſacrum. Quî minus id mihi liceat, quum Paulus cuius paraphraſten illic ago, idẽ faciat eodẽ in loco? quin & illud improbè mentit̃, me vocaſſe panẽ & vinũ ſymbola corporis & ſanguinis Domini, quaſi ſentiam hæc elementa eſſe ſigna corporis & ſanguinis abſentis, quũ ego dilucidè, quid ſentiã explanans,

ipſam ſumptionem appellem ſymbolum æterni fœderis. Impudentius etiam mendacium eſt, quòd ait me ſanguinẽ appellare vinũ, nuſquam appello vinum, ſed appello ſacroſanctum poculum. Adducit locum ex Actis, vbi prædicat me eadem ſcribere, quæ ſcripſi in epiſtolam ad Corinth. quũ ipſa res doceat hoc eſſe vaniſsimum. Addit alia multa eſſe loca in ſcriptis meis, quibus indico me ſentire cum ipſis. Hoc mendacio quid impudentius? Alia multa ſunt loca, quæ declarant me ſentire cum Eccleſia Catholica, nullum eſt verbum, quod ſuſpicionem præbeat diuerſæ ſententiæ. Quur illa diſsimulauit Leopoldus? ſubindicat illa mihi falſo tribui. qui libri ſunt editi meo nomine, qui mei non ſunt? quum ſcripto edito euidẽtiſsimè declararim, quantis mẽdacijs, quàm ſtolidis ſycophantijs ſcateat Leopoldi libellus, tamẽ hic quiſquis fuit, nõ veretur eius facere mentionem, & audet etiam patrocinari, audet affirmare illic mea verba bona fide recitari, audet negare mihi impingi, quòd cum ipſis ſentiam. Vaniſsimum libellum à manifeſto mendacio Leopoldus eſt auſpicatus, dicit me cum Luthero damnare omnes conſtitutiones humanas. Os

impu-

impudens, vbi legit hoc in ſcriptis meis? Sed quid mirum eſt ſic ineptire Leopoldum, quum Zuinglius, quem quidam habent pro ſemideo, nihilo ſanius ratiocinetur ex verbis meis, quibus expono locum Pauli: Calix cui benedicimus. Benedicimus inquam & conſecramus. Conſecrandi verbum ait non ex animo, nec ſine tædio additum. Quòd ſi non adieci ex animo, non probo conſecrationem. Sed quæ tandem neceſsitas compulit, vt adderem, quum Paulus eo verbo non vtatur? Si dixiſſem, Conſecramus & benedicimus, fuiſſem ex animo loquutus. Nunc quia ſequitur, non ex animo adiectum eſt. O graues argumentationes, & tamen calumnioſas. Non pudet iſtos tam manifeſtis Leopoldi nænijs patrocinari? Potui, vt aiunt, in tempore reſcire de libro, quũ libertum demũ venerit, quum iam proficiſcerentur diſputaturi. Et erat Germanicè ſcriptus, tum ipſe erã occupatiſsimus alijs. quid inquit, ille libellus põderis habuiſſet in re tãta? Habuiſſet apud idiotas & rude vulgus. Nos, inquiunt, nullã cauſam dedimus cõcipiendæ de nobis iſtiuſmodi ſuſpicionis. qui vos? Eccleſiaſtę Argentoratẽſes? dę vobis illa ſcripta

non ſunt. Nondum enim prodierat in theatrum ille, qui quædam in libris Lutheri & Pomeriani falſauit, & ad ſuum dogma non vertit, ſed inuertit: nondum, qui doceret nos, eſſe fas in Euangelico negotio fucis ac technis vti, qui fictis titulis commendarent libros ſuos. Et qui talia faciunt ac docent, nunc ſcribunt, nunquam tali ſuſpicioni locum dedimus. Verbo, inquiunt, Dei nitimur, faceſſat omne mendacium. Appello, vt aiũt, Carolſtadij libros inſulſiſsimos, quos tamen non legi, nam erant germanicè ſcripti, ſed docti qui legerant ita prædicabant. Atque ipſe etiam Oecolampadius, qui ſententiam amplectebatur, probationes damnabat. Deinde ſic placuerunt ſenatui, vt ſuppreſſerint. tot ſcatebant cõuitijs. Non cecinit, inquiunt, palinodiã. Quur igitur dicitur Luthero reconciliatus? In libro, inquit, aliud ſcripſit, nimirũ iam extra Lutheri poteſtatẽ conſtitutus. Qui tamen in eũ fuit mitior, quàm Zvuinglius in Balthaſarũ, quẽ Tigurini ſex, vt aiunt, mẽſes detinuerunt in carcere, nec niſi publica recãtatione dimiſſus eſt, imò nõ dimiſſus, qui fugit è carcere. Certè Baſileę publicus erat rumor Carolſtadiũ recantaſſe. Et quid mali fuiſſet,

Bucerus.

fuiſſet, ſi à tanto errore reſipuiſſet. Poſtremò qui dãnat aſſeuerationem dogmatis, quod prius aſſeuerarat, nónne canit palinodiã? De Leopol. & Carol. ſatis. Supereſt alter eccleſiaſtes, quẽ aiunt huius cui nunc reſpõdemus libri certè maxima ex parte architectum, eoq; nomen ſuum ſupprimit. Vocetur ſi libet Bucephalus, is ficto titulo ſcripſit librum ad primogenitũ regis Galliæ, admixtis aliquot verbis gallicis, quò videretur à Gallo ſcriptus ad Gallũ. Pius inquit dolus eſt, qui nocet nemini, prodeſt multis. Primum, nulli nocet hæreſis? Hoc protinus audiret ab alio: Nam hoc de iſtis pronunciatum eſt. Non læditur tantus princeps ac natio religioſiſsima quæ grauatur inuidia? Quod autem ſimile exemplum ab Apoſtolis aut probatis Eccleſiæ doctoribus profectum eſt? Si hic fucus nulli nocet, quur Lutherus tam indignè tulit ſuos libros per hũc fuiſſe corruptos? quur Pomerian⁹ de ſimili temeritate illius queſtus eſt? Quod ab alijs & ab ipſis adeo legibus falſi grauiſsimo crimine notatur, huic lepido Euangeliſtæ pius dolus eſt.

Aliàs Buccerus.

De Vulturio iã reſpondi, cuius ſimplicitatem, bonã fidem, ac ſynceritatẽ ſatis habeo compertam. Dabitur tamen hoc amicitiæ

citiæ priſtinæ, ne quid atrocius in illum ſcribam. Si Cometes res erat ſeria, libellus erat ridiculus, tam ineptè tractatus. Libellos illius, quibus meum præfixerat nomẽ, nondum potui nãciſci, ſed homines optimæ fidei, qui legerunt, narrabant illic excitari Germaniæ principes, vt ſacerdotes ac monachos exuerent ſuis facultatibus. Idẽ habetur in epiſtola cui titulus Argyrophylax. Atque haud ſcio an eadem fuerit epiſtola. Si nihil in illis erat mali, quur ſtatim hic magiſtratus minimè ſtultus vetuit eos diſtrahi, adeò vt nullum liceat reperire? Id porrò factum eſt, antequam ſcirem libros huc allatos. Alterum videram Baſileæ, ſed non dignatus ſum legere. Nec idem ille ſcribit quod ego, ſicut hic aſſeuerat. Ego nolim hęreticos perſuaſione ſimpliciter errantes ſtatim ad ignem pertrahi, ille qui pertrahuntur appellat innocentes. Si illi ſunt innocentes, impij ſunt principes qui eos capite plectunt: & ſi illi tenent veritatem Euangelicam, Cæſar pluſquam hæreticus eſt, qui iubet illos occidi. Vulturio tribuit meram ſanctimoniam, quam optarim quidem tum illi tum mihi adeſſe, patiarq́; illum interim iſtis frui laudibus: nec mea refert quantum æris vel ſui vel

alieni

alieni reliquerit, quanquàm plus opinor alieni. Quàm religiose seruarit amicitiæ leges, quàm Euangelica fide duxerit vxorẽ suã, ipse nouit, nec me clàm est. Sed illum suæ sanctimoniæ relinquamus. Agricolarum exemplum in hoc produxi, ne rẽ per tumultum agẽtes, similem exitum isti sortirentur. Alibi negat eum tumultum exortum ab euangelio, sed à sæuitia dominorum. Istud haud inficior, sed illud in propatulo est, plurimos qui se euangelij titulo venditabant, fuisse pòst admixtos ei turbæ. Et noui quendam ex præcipuis euangelij columnis, qui quum dicerem me rusticis timere miserum exitum, tantum arrisit, indicans se sperare meliora. Cumque Ecclesiastæ nunquàm nõ sæuirẽt in vitam sacerdotum, in rusticos penè erant elingues. Populus autem euangelicus multos habebat admixtos, qui adeò non improbabãt eam fabulam, vt magistratus de reip. salute sollicitus, magis metuerit à suis, quàm ab exteris, ac senatus Basileẽsis vnũ ex euangelij columnis iusserit ire in exilium, quem satellites narrabant se nocte parasceues deprehendisse, non adorantem crucem, quod isti nefas esse ducunt, sed in Paphię deæ mysterijs operantẽ. Illa vereor

vt quisquam absq; risu legat. Sic abhorremus, inquit, à rebus nouādis, vt nemo magis. Si pro sua rep. respondet, patiar: si de omnibus loquitur, magis abhorret in parte Lutherus, qui nec imagines sustulit nec prohibet quenquā si velit sacrificare, nec ad suam mensam compellit quenq̃, nec canonicos templis, nec monachos monasterijs exigit per vim. Cupimus, inquit, monarchis per omnia placere. Quur igitur quidam templa spoliant ab illis extructa? Sed quum præcipiunt, inquit, impia, contemnendi sunt. Verùm impium erit quicquid ipsis incommodum est. An non plerique apud Saxones negarunt Cæsari ac Regi Ferdinando suppetias aduersus vim Turcarum, sequentes dogma Lutheri, cuius nūc ille palinodiā cecinit? Nónne voces hasce iactarunt Euangelici, se malle pugnare pro Turca non baptizato, quàm pro Turca baptizato, hac nota designātes Cæsarem? Omitto quæ Romæ gesta sunt, quàm euangelicè se gesserunt Viennæ? Quis eam historiam non detestetur? Nec illa sine risu legent omnes, percutienti alapam dextram, obuertendam & læuam: auferenti tunicam, concedendum & pallium &c. & docemus, inquiunt, & meditamur.

tamur. Si tales sunt Argentorati Ecclesiastæ, magnopere gratulor ei reipub. cæterum hæc indecorè scribant, qui demoliuntur aliorum extructa sumptibus, qui occupantes collegia ac monasteria dicunt, veteres migrate coloni, qui armati procurrunt in forum. Quid interim ecclesiastæ? Ne quē lædatis nisi si quis vos prior læserit, parate tamen arma & bombardas, ne quis vos opprimat. Scio quosdam coniectos in carcerem, quòd verbū ipsis excidisset in ecclesiastas, quendam etiam de capite periclitatum. Mitto quæ de Zvuinglij clementia vulgo iactantur. Sit falsa Hesiodi sententia: Non omnino perire quod populari rumore spargitur. Quòd si verè meditantur patientiam euangelicā, quur tam amarulentis & criminosis libellis quidam debacchantur in hunc & illū? Zvuinglius in Emserum, Lutherus in regem Angliæ, & Georgium Saxoniæ ducē ac Cæsarem, Ionas in Fabrū, in me Lutherus, Huttenus & Otto? Propugnamus, inquiunt, euangelion, alius hic recineret, hęresim: sed donemus, quid opus tot conuitijs & sannis? Vbi interim sinistra maxilla ad ictum præbita? In hoc ipso libello quot figurati morsus, quantum artificium

onerandi me inuidia, quantum studium concitandi in me principes, ciuitates & regiones, quantum veneni melle verborum tegitur.

Sed Erasmus, inquit, quoque queritur de suo seculo, quòd protulit aliquot qui pontificis autoritatem propemodum anteponebant Christo, cæremonijs metiebantur totam pietatem, confessionem in immensum arctabant, quo monachi regnabant impunè, iam manifestum pharisaismum meditantes. Conuenit, inquit, nobiscum Erasmo, quæ ille damnat, ea sola nos conuulsa volumus. Sed agedum, nunc vbi Erasmus docuit missam esse abominationem, altaria demolienda, eucharistiam esse idololatriam, confessionem nec necessariam esse nec vtilem, cæremonias omnes reijciendas, pontificum constitutiones omnes aduersari verbo Dei? Si cæremonia est quicquid signis externis geritur, & baptismus esset tollendus. quãquã qui dicit aliquot (qua voce sum vsus) non damnat omnes, nec isti vitia sola cõuulsa volunt, sed bona cum malis pariter sublata. Erasmus, inquiunt, scribit imagines in templis non solùm excessisse modum, verùm etiam à decoro recessisse. At

nusquam

nuſquàm ſcribit omnes promiſcuè ſubmouendas,& in ignem conijciendas, exceptis aureis & argenteis. Taxat Eraſmus operoſum hoc muſices genus in templis quibuſdam receptum, at non damnat eos qui pſalmos religioſe canunt in templis, qui preces horarias decenter recitant. Sic colligit ex meis verbis, homo mirè dialecticus. Eſt aliquid abſurdi in his quæ conuellimus, ergo rectè totum conuellimus. Eſt aliquid vitij in corpore, totum igitur corpus tollendum eſt. Vbi didicit hanc dialecticam?

Prætereo totũ illum locum, quo vt doceant ſe pares apoſtolis, probare conantur, Chriſtianiſmum qui hactenus fuit nihilo meliorem eſſe ſuperſtitione ethnicorum, nihilo minus fuiſſe prædictum ab Apoſtolis quod iſti nunc moliunt̃, quàm prædictum erat à prophetis, gentes relicto dæmonum cultu verum Deum agnituras, Iudaicas cæremonias ad coruſcantem Euangelij lucem euanituras. Cuius aures ferant eam blaſphemiam? Sed quod interim loca, quę ex nouo teſtamento in pſeudapoſtolos ac malos Chriſtianos & hæreticos dicta notant tantùm, non etiam recitant, prudẽter faciũt, ne protinus in ipſos

retor-

retorqueātur. Præclara verò vaticinia, quę cum veterum prophetarum oraculis conferantur. Sed audiamus Chrysippeum enthymema: Quid accidit, inquiūt, Erasmo, vt cùm ipse toties inuehatur in cantum Ecclesiasticum, in preces sine mente demurmuratas, in sophisticas Theologorum argutias, nunc nos roget quid sit absurdum in his quæ nos conuellimus? Atqui ego res ipsas non damnaui, sed hominū quorundā mores bonis rebus vtentium malè, isti res ipsas p se bonas cōuellunt. quid isti accidit vt calumniaretˉ quod nō intelligit?

Impingunt mihi mendaciū, quòd scripserim istos iactare se veritatem euangelicam plus mille annis sepultam, in lucem reuocasse, quòd dicant priscos Ecclesiæ doctores nihil vidisse in sacris literis. Hoc nos, inquiunt, non diximus. Qui sint isti, nos, nescio. At quid aliud in libris suis iactat Lutherus & Zvuinglius? Nam in genere sum locutus, qui Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, Gregorium cum cæteris dicit in carne fuisse, caro autem nihil sapit eorum quæ Dei sunt, quū diuinæ literæ non intelligantur nisi per Christi spiritum, quem adeò illis non tribuit, vt vix liberet à gehenna, nónne

facit

facit quod dixi? Quum verò Lutherum in nullo reprehendant, præterquàm in causa Eucharistiæ, verisimile est eos hic cum illo sentire. Deinde quum ipsi quoque vocent idololatriam, blasphemiã & Christi contumeliam, contraque sacras literas inuecta, quæ veteres tot retrò seculis & docuerunt & religiose seruarunt, veluti de ieiunio quod fuit tempore Origenis, de cantu Ecclesiastico, qui fuit ante Ambrosium & Augustinum, de sacrificio Missæ, de Eucharistia, de inuocatione sanctorum, de statuis in templo, quod non damnat Gregorius, & ipse Hieronymus tundebat pectus coram imagine crucifixi, de libero arbitrio, de monachismo, deque alijs compluribus, nónne bellè sentiunt de priscis Ecclesiæ Doctoribus? Relegãt suorum libros, ac tum dicant hic esse multa non θεολογικῶς à me dicta, dicant Erasmi dictum est, non nostrnm, nolo dicere τὰ σῦκα σῦκα. Nec satis est illis sua vaticinia priscis æquasse, præferunt. Referam vnum è multis. Acto. cap. 20. Paulus ita loquitur: Scio quòd introibunt post abitum meum lupi graues in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.

In vtros

In vtros ista magis competũt? in nos, qui quod à mille quingentis annis tradidit Ecclesia tenemus, an in eos qui nouis dogmatibus tantos excitant tumultus? Quid autem prædixit Christus apud Matthæum cap. 24. Videte ne quis vos seducat: Multi enim venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, & multos seducent: Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. An non hæc plane παλίμβολα sunt? Quemadmodum illa quæ scribit Paulus posterioris ad Thessal. epist. cap. 2. sic nos veluti compellans, rogamus vos, vt nõ citò moueamini à vestro sensu neque terreamini. quis autem est ille homo peccati & filius perditionis? Romanus vt arbitratur Pontifex: at is daturus est eis diuersam interpretationem, 1. ad Tim. cap. 4. quid docet Paulus? Prędixit exorituros, qui prohiberent nubere, qui iuberent abstinere à cibis. Hæc in eos quadrant, qui simpliciter damnãt omne matrimonium, ceu suapte natura spurcum. Hos execratur Ecclesia Catholica. Cæterùm qui semel duxit vxorẽ, nónne is rectè vetatur inire matrimonium? Nónne Paulus vetuit nouercam vxoris loco haberi? Nónne Ioannes Baptista dãnat matrimoniũ Herodis?

Ecclesia

Ecclesia non arcet à matrimonio, nisi qui matrimonium abiurarunt. Quòd si se nõ continent, deplorent suam vel temeritatem vel imbecillitatem, non damnent Ecclesiam. Audiamus iam vaticinium Ioannis epist. i. cap. ij. Filioli nouissima hora est,& sicut audistis, quòd Antichristus venit, iam Antichristi multi facti sunt: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, & cæt. Vident hæc statim ipsis in os posse regeri. Similiter quod habetur eiusdem epist. cap. iiij. nónne nobis dicta videntur? Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. Quid porrò in epist. Petri ij. cap. ij. Fuerunt & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis. De quibus vaticinatur Petrus? Iudicet sensus communis: in nos certè ista non competunt. Huius generis sunt istorum vaticinia propheticis dilucidiora, quæ Paulus autoritate sua interpretans confirmauit.

Post hæc suam inter se dissensionẽ cum Apostolorum ac veterũ dissensione conferunt. Apostoli nusquam dissenserunt in dogmatibus fidei. Nam quod quidam

aiunt Petrum in fide erraſſe, & ob id à Paulo reprehenſum, non rectè ſcriptum eſt ab Auguſtino, quem parum attentè ſequuti ſunt recentiores. Nec eſt eadẽ ratio de diſſenſiõe priſcorum & iſtorũ diſsidio. Ignoſcitur Origeni & Cypriano, quòd quædã diſputarint ex ſcripturis non ſatis intellectis, de quibus nondũ erat Eccleſiaſtica autoritate pronũciatum. Sic in multis ignoſcitur & Chryſoſtomo, & Ambroſio, & Hieronymo, & Auguſtino. Iam an hoc verum ſit quòd iſti nuſquã diſſentiũt in his, quę ſunt ad ſalutẽ neceſſaria, viderint ipſi. Nos arbitramur certè de Euchariſtia ſententiam ad neceſsitatem ſalutis pertinere, ne cætera multa commemorem. Nec ideo ſcripſimus eos nouare dogmata, ꝙ quædã nunc ꝓferunt, quæ initiò tacuerũt, ſed ꝙ in libris dictiſq; ſuis doceant inter ſe pugnãtia. Id ſi falſum eſt, refellãt eos, qui tot loca proferũt, in quibus Lutherus & Zuinglius à ſe ipſis quoq; diſſentiũt. Extant illorũ libri, ne mihi ſit hoc operę ſumendũ, quanquã poſſum & alia quædã referre ab illis prætermiſſa. Doceãt inter doctrinam Lutheri & Zuinglij nullũ eſſe diſcrimen. Alium igitur fucum quærãt oportet, quo ſuũ excuſent diſsidiũ. Verùm hoc quoq;
ſibi

ſibi volunt ignoſci, quòd initiò quædam ignorarint: velut Antiochiæ fratres expoſtulant cum Petro, quòd bapizaſſet Cornelij familiã, & erãt inter Iudæos qui gentibus volebant imponere onus legis, non nulli volebãt totam legẽ admiſcere Chriſto. Huiuſmodi lemmatibus patrocinantur ſuorum dogmatum diſcrepantiæ. At ego de grege fratrum nõ diſputo. Apoſtoli quibus iſti ſe comparant, nunquam, vt dixi, diſſenſerunt in dogmatibus fidei, legis cæremoniæ per ſe malæ non erant, nec ciborum delectus, nec Deus voluit ſuam legem ſubitò reijci, ne videretur fuiſſe impia, quum abolendæ quoque cæremoniæ typum haberent Chriſti, ſed paulatim antiquari. Cæterùm quoniam Dominus iuſſerat illos incipere ab Hieroſolymis, tota Iudæa & Samaria, tandem venire vſque ad extrema terræ, fieri potuit vt Petrus dubitarit, quando Deo viſum eſſet, palàm doceri legis cæremonias abolendas, & à Paulo monitus ſit iam eſſe tempus. Porrò Petri difficultas quam præ ſe ferebat in baptizando Cornelio, & murmur fratrũ aduerſus Petrũ, & Pauli obiurgatio nihil aliud erant, quàm Dei diſpenſatio hoc agentis, vt omnibus liqueret earum rerũ nouatio-

nem non leuitate hominum, ſed Dei voluntate fieri. Sed quando quiſquam Apoſtolus probauit idololatriam? At iſti miſſam probarunt initiò & ſacrificarunt, quũ eam nunc exiſtiment ſummam eſſe idololatriã. Hoc excuſent ſua rhetorica ſi queant. In hoc, vt ait, à me diſſentiunt, quòd ſcripſerim Apoſtolos initiò diſsimulaſſe Chriſti diuinitatem. Idq́; ita referũt, quaſi Apoſtoli poſt acceptum ſpiritum ſanctum receperint aliquos ad gratiam Euangelicam, quibus non indicarint Chriſti diuinitatem. Abſit vt ea cogitatio mihi vnquã venerit in mentẽ, ſed ex probatorũ autorum ſententia annoto, quòd Petrus prima concione apud rudem illam multitudinem Chriſtum appellat virũ approbatum à Deo, de diuinitate ſilet, quam ſi tum expreſsiſſet, non habuiſſet attentum auditorium. Itidẽ Paulus apud Athenienſes nõdum myſterij capaces, Chriſtum appellat virum, per quem Deus ſtatuiſſet ſeruare mortalium genus. Quis enim tum tuliſſet hominem cruci affixum appellari Deum? Hoc pro ratione temporis apud indoctos. Cæterùm diſcipulis non dubium quin in primis aperuerint diuinæ naturæ myſterium. Iam cùm à Chriſto mitterẽtur

per

per Iudææ ciuitates prædicaturi Euangelium, vetiti sunt dicere Iesum esse Messiã, tãtum aberat, vt prædicarent Deum. quid est ergo quod isti nõ agnoscunt? Fateantur potius se nõ intellexisse quod scripsi. Auferant igitur fumos verborum, desinantque se cum Apostolis conferre. De synodis nihil interim disputo, quas ipsi fortiter contemnunt, neque nos tuemur illic acta omnia.

Ad mores redit oratio, multaq́; cõmemorãt de lenitate ac mansuetudine suorũ, & præcipuè Cattorũ principis, quæ si à me fuissent scripta, clamarent me magistratibus & principibus adulari. Sed hęc quoniam ad magnates attinẽt, nõ est animus respõdere, presertim quũ mihi quę ꝓcul gesta sunt, parũ sint explorata. quid Cattorũ princeps sentiat nescio, quę vulgo iactant nihil moror, quę isti prædicãt de his, quos putant suo fauere instituto, nihil me mouent, nihilo magis, quàm ea quæ de seipsis nobis ingerũt. Illud non potui nõ ridere, quod in argumentũ Euangelicæ lenitatis adducũt, quòd quũ tã diu in epistolis meis tam dira falsaq́; crimina in eos cõgerens monarcharũ & omniũ mortaliũ animos in ipsos ꝓuocarim, tamẽ id impunè tulerim.

rim. Et vbi ſunt iſta dira falſaque crimina? Quin clamant in Eckium, in Epiſcopum Roffenſem, in alios complures, qui ſeriò cum iſtis ſectis belligerantur. Omnia crimina ſemel obijciunt, qui pronunciant hæreticos & ſchiſmaticos. Videant quibus floſculis ipſos ornarit in hoc principum conuentu Ioannes Eckius. Ego ſemper pro viribus principes à ſæuiendo reuocaui, & ipſe adeo non fui ſæuus in eos, vt multis viderer colludere. Tot vulgo volitant dentatiſsimi libelli, pleniq́ue amarulētia, & cōuitijs tam acerbis, vt nō temerè quicquā ſimile reperias apud ethnicos, & nobis toties iactant admirabilem illam manſuetudinem, quæ percuſſa dextra maxilla, percutiendā præbet læuam. Nos inquiet non iſta facimus. Quum meus ſermo ſit generalis, ne dicat, nos non facimus, ſed quod obijcis nuſquàm fit. Sibi tutum eſſe volunt in Epiſcopos, reges ac principes quicquid libet cōuitiorum effundere, experiatur qui velit, an ſi ſimili modo debacchetur in Ecleſiaſtas, aut magiſtratus iſtorum, impunè ſit ablaturus. Ego priuatam quorundā manſuetudinē abundè ſum expertus. Noui quendam quem plus decem annis non

Euāgelicus.

aliter

aliter atq; filium adamaui, meq; vicissim ille non secùs ac parentem obseruabat, indole quam dixisses probitati natam: Simul atque hausit spiritum Euangelicum, præter omnem expectationem cœpit esse bonus aleator, pernox chartarum lusor, non inelegans scortator: cœpit discinctus gestare prælongum ensem, cogitare de matrimonio. Postremò verbulo læsus, ex tali amico qualis esse videbatur, subitò mutatus est in viperã, vindictæ auidissimus, perinde quasi matrem ipsius ferro necassem. Quid alterum commemorem, supra modum Euangelicum, qui nũquàm à me verbo læsus, sed tum voce tũ scriptis meis prædicatus, nonnihil etiam officijs meis adiutus, quum mecum nunquàm expostulasset, post abitum, plusquàm hostilẽ præ se tulit animum, nec satis habet linguę spiculum in me vibrare, librũ in me scriptum recitat suis compotoribus. Ob quod meritum meum? Quia cum furente nolui furere. quanq̃ per me tũ licuit illi facere quicquid libuit. Apud Episcopũ Christophorum eum candidissimè excusaui. Quum à magistratu immineret illi periculũ, clàm scripto admonui. Nec erat intẽpestiua admonitio, iussus adire magistratum, maluit

vertere ſolum. Atq; hic vnus eſt ex proceribus Euangelicis. Quando præberent alteram maxillam percuſſori, qui tale premium referũt bene meritis? Quî potuit Huttenus ſtringere calamum in hominem à quo ſic erat adamatus, ſic ſcriptis editis p̃dicatus, nec mediocribus adiutus officijs. An non huic ceu propugnatori euangelij plaudebat populus euangelicus? Et tamen hunc quidam præcipuus iſtius doctrinæ defenſor, in epiſtola quadam apellat furioſum, Lutherus dolet aſperſum ſpongia. Quid nunc de vulgo memorem? In quo multos noui, leuiſsimarum etiam iniuriarum impatientiſsimos, & pro quamuis friuola offenſa atroces vindictas molientes. E multis vnum attingam. quidam iuuenis erat coniectus in carcerem ob non leue facinus: Adegerunt amici, vt per oratorem regis Angliæ, qui tum fortè aderat, impetrarem illi veniam. Factum eſt, dimiſſus eſt, mulcta remiſſa eſt: quo nomine, veluti pro ſummo beneficio coactus ſum Senatui gratias agere. At ille bonus vir eodem die quo liberatus eſt, eorũ per quos liberatus eſt, vino ebrius, fanda atque infanda dixit in me, diſtricto gladio mortem etiam minitans Eraſmo. Rogatus poſtridie

Huttenus.

De Iuuene crimino ſo.

num

num illa dixiſſet ex animo, excuſauit temulentiam. Euangelica purgatio. Deinde contulit ſe Conſtantiam, & apud Botzemum, quem nouerat eſſe mihi iunctiſsiſimum, finxit ſe fuiſſe famulum Eraſmi, hac commendatione ſuauiter ibi tractatus eſt hebdomades aliquot. Inde ſe contulit Vuittenbergam, abſoluturus euangelium ſuum. Habes exempla manſuetudinis, nunc accipe exemplum bonæ fidei & veritatis. Expoſtulabam cum quodam vehementer euangelico, quòd in ſua patria obambulaſſet per ludimagiſtros ac pedagogos, qui domi pueritiam inſtituunt, eiſque ſedecim ferè tradidiſſet articulos, ſuperuacaneam eſſe confeſsionem, pontificum conſtitutiones nihil obligare, & huius generis aliquot, quum inficiaretur cætera quæ obijciebam, hoc ingenuè faſſus eſt. Reuerſus eſt in patriam me diſſuadente, minimũ abfuit, quin fuerit comprehenſus, tamen elapſus eſt. Quũ mihi totam hiſtoriam denarraſſet, rogabã quid commeruiſſet, vt tanto ſtudio peteretur à ſatellitibus. Neceſſe eſt, inquam, vt aliquid feceris dixeríſve, quo deprehenderint te non eſſe alienum à ſectis. Ille ſanctè deierauit ſe nec feciſſe, nec dixiſſe

quicquam. Quid ais, inquam, impudens, nónne mihi fassus es tali præsente de disseminatis articulis? Negauit. Quò magis vrgebam, hoc magis abiurabat. Alius quidam irrupit in ædes meas, expetens colloquium meum. Vt ex famulis cognoui πλανήτην esse, iussi dicerent mihi non esse otium. Iussus abire semel atque iterũ, nihil, inquit, moror Erasmi verba, pecuniam illius volo. quid factum? Post totam horam, cùm iam dudum abijsse crederem, fortè cubiculum egressus, reperi cum famulis garriẽtem admodum familiariter: Fuerat autem Franciscanus, quod ipse vltrò apud meos effutiuerat. Inter colloquẽdum incidit vt diceret se rectà Norenbergam iturum. Scripsi ad Bilibaldum, dedi septem asses. Ille pilum non pertulit, sed cùm per occasionem vnum è famulis misissem Venetiam, illic virum reperit euangelicum. Alius quidam adijt me querens de extrema egestate, & offerens obsequium suũ. Nolui statim in familitiũ admittere ignotũ, sed datis quatuor assibus, iussi vt postridie rediret ad me. Redijt, tradidi illi libellum, vt eũ transcribendo disceret scribere, pactus cum illo duobus assibus in singulos dies, addidi præ mani-

manibus, præter quatuor antè datos, asses quatuordecim. Ille bonus vir nactus viaticum, profectus est inscio me Tigurum, ibi nescio cui locauit operam suam. Vbi sex diebus nusquàm apparet, iubeo perquiri, aiunt profectum. Librum meum deposuerat apud hospitem suum, at ille abiurabat quicquam apud se relictum. Nec prius recepi codicem, donec ille literis autenticis mandasset, vt redderetur. Redijt, nec reddidit pecuniam, nec perscripsit quod receperat, nec mihi saltē gratias egit, imò cū aliquot sodalibus prçteriens, ne moto quidem pileo salutauit. Taceo multos qui irruperūt in ædes meas subornati, vt mihi literas aut libellos redderent, ludibrij causa confictos. Comperi quosdā qui vltrò adibant quos mihi sciebāt familiares, offerētes officiū suū si qd vellent ad Erasmum. Acceptas literas perferebant ad fratres, vt scirēt arcana nostra. Huius generis centum historias proferre valeam. Quòd si negant tales esse euangelicos, mecum profectò faciunt, & ideo posui pseudeuangelicos. Verùm huiusmodi multa colluuies, quæ initiò nō postremas partes gerebat in hac fabula, multos bonos alieniores reddidit ab hoc negotio.

Proinde

Proinde mihi non debent ſuccenſere, ſi minus probo quos ipſi quoque damnant. Sed ad id quod inſtitueram redeo. Adducit & hoc exemplum euangelicæ manſuetudinis, quod apud ipſos etiam qui ſectæ ipſorum aduerſantur, commodiſsimè viuant. Id quale ſit in præſentia non excutiam. Certè multorum querelas audio, nõnullos video profugientes, aliquot etiam deſciſcentes, comperta tandem iſtorum ſanctimonia. Illud rurſus impudentiſsimę vanitatis eſt, quòd cùm, vt aiunt, Argentorati, Baſileæ, Conſtantiæ, tam multi ſe conuerterint ad vitam incorruptiſsimam, ego perinde ſcribam de eis, quaſi nemo in eis cœpiſſet viuere emendatiùs, imò quaſi nemo eſſet non ſeipſo factus deterior. Os impudens, vbi ſic loquitur Eraſmus? Imò teſtatur ſe paucos noſſe, nec ſcribere niſi de notis, & quod ſcribo veriſsimum eſt, idq; multis experimentis docere poſsim, ne putét me populi rumoribus niti. Quos antea nouerã puros, candidos & fuci ignaros, vbi ſe ſectæ dediſſent, loqui cœpiſſe de puellis, luſiſſe aleam, abieciſſe preces, factos ad rem attentiſsimos, impatientiſſimos omnis iniuriæ, vindices, obtrectatores, vanos, viperinis moribus, ac prorſus homi-

hominem exuisse. quæ de luxu quorundam vulgo ferebantur, non referam. Expertus sum, si quid erat negotij, duriores esse minusq́; fidos plerosque euangelicos quàm cæteros. Si tam multi facti sunt meliores, gaudendum est, & fieri potest vt inscio me tales aliquot sint. quomodo viuatur Romæ aut inter canonicos nec mea refert, nec admodum noui. Nam isti placuit simpliciter mendax hyperbole, nemo melius nouit, cùm vix quisquam minus norit. Verùm ne conferant nunc suos Ecclesiastas cum nostris episcopis, vbi ad dignitates ac opes illorum peruenerint, tum erit conferendi tempus. Nunc vt adsit animus, deest facultas. Omnes episcopi Romani vsq; ad vigesimumprimum, ni fallor, matyrij gloriam tulerunt, videbimus qualis futurus sit qui Zvuinglio aut Oecolampadio aut Capitoni vigesimus successerit. Tamen inter Episcopos nostros noui, quorum sanctimoniā malim, quàm mille euangelicorum. Proinde quod mihi falso impingunt, me sic loqui de euangelicis quasi nemo rectè viuat, id verè potest in istos retorqueri, qui sic loquuntur de sacerdotibus, monachis & Episcopis, quasi sint omnes sceleratissimi, & hostes christi.

Scripse-

Scripseram illos preces & ieiunia tollere, hic vociferantur: Quid est, si hæc calumnia non est? Totidem verbis in illos recinam: Quid est, si hæc calumnia non est? Dixi illos tollere ieiunia ab Ecclesia inducta, preces horarias ab Ecclesia præscriptas, id quum ipsi fateantur, quid quiritantur de calumnia? Nec simpliciter damnaui quòd sustulerint, sed quòd quum illa sustulerint, multi nihil prorsus nec orent, nec ieiunent. Vera, inquiunt, precatio non potest ab homine præcipi, quum ea non sit in hominis potestate. Nec hoc sibi sumit Ecclesia, verùm ea pręscribit quæ ad spiritualem precationẽ cõducunt prouehuntque, in quibus præcipua sunt ieiunium, eleemosynæ, sacra lectio, & precum vocalis recitatio, ad id quod exigi non potest, hortatur tantùm. Cur, inquiunt, sibi sumũt Põtifices, quod sibi nõ sumpserunt Apostoli? quia tũ vltrò precabantur & ieiunabant, nostræ segnitiei capistro fuit opus & stimulis, & ꝓbabile est si tali seculo vixissent Apostoli, duriores etiam constitutiones nostris moribus imposituros. Iam & illud inficiãtur, quòd missam sustulerint. Quid igitur sibi

De Missa.

volunt tot libelli de abroganda missa?

Aut

Aut qualis eſt illa miſſa, quæ caret corpore & ſanguine Chriſti? Ea quum auferant, tamen audent dicere, quòd quæſtum modò aliaque ſacerdotum, non rei vitia ſuſtulerint. Num Apoſtoli celebrarunt miſſam abſque corpore Chrrſti? Nam veſtes & ritus media ſunt, non zizania, quæ pro tempore vel omitti poſſunt, vel adhiberi, vel mutari. Dolet illis hyperbole, quòd ſcripſerim illis in receptis nihil placere. Proferant igitur, quod in totum probent Lutherus & Zvuinglius in receptis: nihil inuenient. Porrò quòd ait à me ſcriptum ipſos pro bonis, aut certè tolerabilibus peſsima quæq; inuehere, hoc in mea epiſtola non arbitror vſquàm legi, & ſi ſcripſiſſem, plurimorũ applauſu ſcripſiſſem. Verùm ea δείνωσις viſa eſt illis commoda ad mihi mouendam inuidiam. Exigunt à me vt eorum nomina proferam, quos aio poſt ſuſceptam ſectæ profeſsionem factos ſeipſis deteriores, quũ ipſi protulerint vnum principem mihi quidẽ ignotũ, quaſi nuſquã appareãt aut quaſi vulgo nõ ſint obuij, quos ſibi volũt nominatim cõmonſtrari. Sinãt me hic meã tueri ciuilitatem: quòd ſi vrgẽt, relegabo eos in Saxoniam, vbi ſunt qui viſitatoribus eguerunt, qui

Cæſari ſuppetias aduerſus Turcam negarunt, qui leges matrimonij omnes commiſcuerunt. A viſitatoribus diſcant quos caſus audierint. Sed quid opus eſt quenquam nominare, quum ipſi fateantur occaſione euangelij, multos licentiùs in ſcelera ruere? Ipſi igitur eos pro me nominēt. Rurſus congerit aliquot manifeſta mēdacia, permitto, vt ait, mihi vt ob aliquot malos admixtos totam iſtorum profeſsionē damnem. HOC nuſquàm eſt in epiſtola nec alijs ſcriptis meis. Imò contrariū legitur. Tantùm dico quorundā impurā vitam officere negotio quod agūt. Id ipſi non negant. Rurſus illa verba, quaſi apud nos nihil niſi ſcelera doceātur, quū nihil tale ſit in ſcriptis meis, demiror iſtiꝰ ſcriptoris impudentiā: quemadmodum & illud falſiſsimū eſt, quaſi noſtræ doctrinæ nemo hactenus diſcipulus fuerit, qui non factus ſit ſeipſo deterior, quum ego tantū negem me noſſe quenquā. Paucisſimi ſunt quos ego noui propius, Argentorati nullus. Et poſt tā impudens mendaciū exclamat hic rhetor: O grauē contumeliā Chriſti, &c. Nec his contentus, quos hic inquit, tantus Eccleſię Catholicæ vindex tanq̄ bipedū nequiſsimos meraq; portēta omniū odijs &

extremæ

extremæ principum sæuitiæ exponit, addicit, deuouet. Quis non admiretur hanc δείνωσιν ex meris mẽdacijs profectã? Et hic est ille mãsuetudinis Euangelicæ doctor, qui præter causam ad seditionẽ excitandã sic cornu Alectοῦς personat. Ego semper ad moderationẽ & tranquillitatẽ hortatus sum, & hortor etiamnũ. Istud clasicũ in alios decuit intẽdere. Fortasis hoc illi excidit imprudẽti, quòd meam Ecclesiam vocat Catholicã: quòd si nostra Catholica est, videlicet ipsorũ Ecclesiam hæreticã pnũciat. Iam alius sic colligeret: quisquis ex orthodoxo fit hæreticus, nónne seipso fit deterior? Verùm vt nõ sensi animo, ita nõ est cõsilij defendere. Imagines sic eiectas semper improbaui. qui picturas tollit è vita, præcipuas tollit vitæ delicias, atq; adeò rẽ nõ vno modo frugiferã. Sæpè plus videmus in picturis, quàm ex literis cõcipimus. Proinde falsum est quod ait, imagines nihil adferre vtilitatis. Et olim in templo Iudæorum erant imagines, cherubim, facies hominis prominentes, & leunculorum effigies. Nec probabile est hoc sensisse Deum, ne qua omninò haberẽt imago, sed ne idolũ more gentiũ. Multę imagines proponuntur, nõ vt adorentur, sed vt vel

exornēt ædificium, vel ibi verſantem admoneant alicuius bonę rei. An inutile ſit, ſi in templorū porticibus pingeretur tota vita Chriſti, vt qui illic ſpaciantˉ otioſi, habeant frugiferam aliquam cōfabulandi aut cogitandi materiam? Quanquam apud Chriſtianos nulla proponitur imago propriè adorāda. Nā quod honoris illis impēditur, ei impēditˉ, quod repręſentāt. Quòd ſi citra diſcrimen oīs imago tollenda eſt, tollendi erāt & Athlātes & tibicines, quos fabri addunt fulciēdis columnis, tollēdus & gallus ſacræ turris faſtigio imponi ſolitus. Probabile eſt igitˉ Deum nō de quauis imagine ſenſiſſe, ſed de gentiū ſimulacris, quibus velut animatis immolabāt: & ſi id maximè ſenſiſſet, præceptum erat illorum temporum, quemadmodū alia permulta. Nunc nihil eſt periculi ab idololatria. Nec hoc innuo, quod interpretātur, vitiorum idola in illorum pectoribus remanere, ſed indico quid ſit præcipuum. Idem illos admonuit Lutherus. Quòd ſi ſe tales autumant, vt in pectore nihil ſentiant carnalium affectuum, ſine cauſa monui de tollendis pectoris imaginibus. Sed ipſi fatentur ſe adhuc luctari cum carne, vnde miror quur offendantur.

Quòd

Quòd ſcripſi me nõ videre quid ſibi vẽlit imaginũ demolitio, niſi vt ſit conſpirationis ſymbolum, ſtolidiſsimè exaggerat; quaſi accuſem illos ſeditioſæ conſpirationis aduerſus principes, quod exiſtimant eſſe crimen nepharium, quum nihil aliud ſenſerim, quàm de fœdere, quod aliquot ciuitates inter ſe coierũt, in quod nõ ſunt recepti Argentoratẽſes, niſi ꝓfligatis imaginibus. Hoc fœdus cùm Vulturius etiam carmine celebrarit, cur in me ſic debacchãtur, ꝙ eius fecerim mentionẽ, quanquam ibi de Argentinẽſibus nõ ſum propriè locutus, ſed in genere. HOC fœdus aduerſum quos ſit initum non ſum curioſus: quid multi iactent euãgelici, vulgus quoq; nouit. Cõſpirandi verbum anceps eſt, tam in bonã quàm in malam partem vergẽs. Nec omnis conſpiratio fit aduerſus principes: & poſſet eſſe aduerſus principes quoque legitima. Auferant itaque mihi tragicas iſtas exaggerationes. Ego fœdus illorum nec probo, nec improbo. Ad Toletanum præſulem, vt ait, ſcripſi me augurari illos moliri nouam Democratiam. Quid hoc ad eccleſiaſtas Argentoratenſes? de vulgo loquor in genere. Et tamen illud pronomen nos nos ſemper habet in ore:

Hoc augurium an ſit vaniſsimum, rerum exitus probabit. Iſte pronunciat ante tempus. Sunt ciuitates quę nõ agnoſcunt principem, de illis potiſsimùm ſcripſi. Hic inquit eſt Ariſtocratia. Ridiculum, an Ariſtocratia verti nõ poteſt in Democratiam? Et ſi iam multæ ciuitates in hoc profecerunt, vt Epiſcopos abdicarint: nõ poſsint aliæ huc proficere, vt principes ſuos eijciant? Non licuit ad amicum ſcribenti ſignificare, quid de quorundã animis diuinarem? Et an non quod diuino vidimus tentatum ab agricolis? Quod addidi de callidis Concilijs, ex eiuſdẽ ſectæ viris accepi. Quoſdam mihi videri prorſus hominem exuiſſe ſcripſi, ſed de his duntaxat ſcripſi, quorum mores habeo compertos. An qui nec læſus, & beneficijs affectus, nec amicitiæ meminit, nec fidei, aut ciuilitatis, quã hoſtis præſtat hoſti, nõ videtur exuiſſe hominem?

Et hic homo vaniſsimus tragicis verbis impingit mihi manifeſta mendacia, quibus tamẽ non tam ipſos lædam, quàm me prodam cõtumelioſum in Chriſtum. Audis lenitatẽ Euangelicam? Audis Apoſtolicam ſynceritatem? Quum ſubinde repetat manifeſta mendacia, nondum tamen

vllum

vllum probauit mẽdacium. Depingit nobis quàm ſanctè res geratur Argentorati. An verum dicat, neſcio, certè optarim eſſe verißimum: illud inficiari non poßint, totum hoc negotium, quod tam multis verborũ phaleris exornat, geri ſine Chriſto, quum iactet ea tantùm fieri, quæ Chriſtus inſtituit. Redeuntes à templo meis oculis vidi, nec erat tanta turba, vt non liceret ſingulos contemplari. Nunquam ſum ingreſſus illorum templa, ne viderer illis aſſentiri, & ſi veniſſem nõ fuiſſem illis gratus, quum ſcirent me diuerſa ſentire. Verùm ab his, qui ſectam illam profitebantur ſæpè diligẽter percunctatus ſum, quid illic ageretur, nominatim, an concionante Oecolampadio, vidiſſent aliquem illachrymantem aut ingemiſcentem pro peccatis, negarunt, ſed multos oſcitãtes ſe vidiſſe aiebant, ſuſpirantem aut lachrymantem neminem. De his loquutus ſum, de quibus propius licuit cognoſcere, de Argentorato nihil. Et hoc videri volunt vnum inſigne mẽdacium, quo me declarẽ contumelioſum in Chriſtum. Multò alia narrant etiã hi, qui ſectę illi dedere nomẽ. Dicent illos nõ eſſe Euangelicos. quid ni? Quiſquis malè ſentit de illis, nõ eſt Euangelicus.

 gelicus.

gelicus. Quòd ſcripſi, vereor ne phariſaiſmo ſuccedat paganiſmus, quũ nõ intelligant tamẽ calumniant, phariſaiſmũ ad noſtrorũ quorundã ſuperſtitionẽ referebã, quẽ iſti ſic excuterẽt, vt metuerim ne multi iam habenis, quibus vtcunq; coercebãtur, liberi proruerent in paganicam licentiã. Quid hoc ad eccleſiaſtas, aut ad cæremonias Baſileẽſium? Nõ dubito, quin multi ſub hoc Euangelij pallio lateant, titulo Chriſtiani, animo pagani. Atq; hoc plerũq; videmus accidere, vt dũ ſedulò magis q̃ circũſpectè vitamus malũ aliquod, incidamus in aliud grauius, ac de calcaria, quod dici ſolet, feramur in carbonariã. Quod ego metuo, iam cõpertum eſt. Nã nuper Baſileæ tale portentũ exuſſerũt. Ex huiuſmodi nugis hic vir modeſtiſsimus toties impingit mẽdacia, magna, dira, falſa, venena libris editis effuſa in mẽbra Chriſti. Non vult quicquã ſcribi, niſi quod oculis viderimus, auribus audierimus, quũ ipſe tot hiſtorias nobis decantet, quid actũ ſit apud Heſſos, apud Tigurinos, apud Baſileenſes, apud Bernates: vnde hauſtas, niſi ex aliorũ relatione? Et vbi eſt hic mendaciorũ aceruus, quẽ in epiſtola congero? Priuſquam ſacerdotes cederent vrbe, narrabãt nõ ad-

uersarij, sed symmistæ, à quibusdam Ecclesiastis nullam fieri concionem, in qua non stomacharentur in Canonicos. quòd si Canonici voluissent contendere, nónne vidissemus in ea ciuitate tristissimam rerum faciem? Dixi sic excussam confessionem, vt plurimi ne Deo quidem confiteantur: sic excussum cum ieiunijs ciborum delectum, vt interim à multis gnauiter indulgeatur crapulæ. An non hęc fuit publica querela vulgi, non solùm laniorum? Opinor hoc nomine & Oecolampadio multos displicuisse. An hic quoq; requirunt exempla? Sed demiror illos hoc inter mea mendacia referre, quum ipsi fateantur esse permultos, qui per occasionē Euangelij, sese in omnem scelerum licentiam effuderint. At hos non agnoscũt pro suis. Desinant igitur mihi indignari, meque vanitatis accusare, quum de illis in genere sim loquutus, nullam remp. nec vllum magistratum notans. Et toties occinitur nobis, nos nos. narrãt nobis quid Argentorati doceant, quum ego de populariũ quorundã moribus sim loquutus, non de doctrina, quæ qualis sit Argẽtorati, nõ noui. At vide scriptoris huius oscitantiã. Paulò antè detestabaĩ tales, quales noto, &

mox ſubijcit: cur Eraſmus nobis falſa impingit? Si pronomen nobis, indicat eccleſiaſtas Argentoratenſes, de his nõ loquor. Si populum vniuerſum euangelici nominis, in hoc ſunt, quos notaui, vel ipſis fatẽtibus. Et tamen cùm eadem loquamur ambo. Eraſmus eſt mendax, ille nihil loquitur niſi veritates euangelicas. Scripſi, vt ait, ſic excuſſum ab ipſis iugum humanarum conſtitutionum, vt nemo interim ceruicem ſubmiſerit ſuaui iugo Domini. Imò non ſic loquor vir euãgelice, ſed vbi ſunt, inquam, qui ſubmiſerunt ceruicem, &c. Non inficior eſſe, ſed oſtendi cupio. Gratias agũt pro inſigni teſtimonio, quod dixerim Apoſtolos neſciſſe pręſcriptos ieiuniorum dies, nec ciborum delectum. A nullo, inquit, exigi poteſt, quod non inſtituerunt Apoſtoli. Si prophani principes habent ius ſtatuendi aliquid in externa repub. quî minus eccesiæ proceres habent ius ſtatuendi in ſtatu eccleſiaſtico? Sed impudentiùs hæc dicuntur ab his, qui ipſi à ſuis multa exigunt, quæ non ſunt ab Apoſtolis inſtituta. Cęterùm quid hoc teſtimonium meum ſubleuat illorum cauſam, qui ſic contemnunt præſcripta ieiunia, vt nunquam omnino ieiunent?

Exigunt à me quibus humanis constitutionibus ipsi grauẽt, in quos habẽt ius. Quærant hoc ab illis, qui suis ciuitatibus pridem cesserunt, & quotidie demigrant. Quid autem attinet eas proferre, quum quicquid ab istis geritur, aut istorum hortatu instituitur, ad publicam vtilitatem à spiritu Dei profectum sit? Nullum verò noui episcopum, cui non auderem me tutò credere, & Cæsaris fauore semper hactenus fui subleuatus, quemadmodum & ab aula Brabantica. Abitus à Brabantia præcipua causa fuit, ne quod tũ agebatur, odiosum aduersus Lutherum negotium, in meos humeros protruderetur. Quòd à magistratu nullum sit intentatum periculum, isti quum ignorent, tamen affirmant. Si fortiter tutatus fuissem causam Ecclesiæ Catholicæ, fortassis fuissem periculo non leui vicinus. Sed quid audio, etiam paterarum odor ad istorum nares peruenit? Nam id obiter intorquent. Solus Archiepiscopus Cantuariensis dedit mihi poculum, sed quum nondum innotuisset Lutherus. Post hunc Albertus Card. Moguntinus, priusquàm Lutherus graui laboraret inuidia, imò quũ vix notus esset. Tertius quidã nuper dedit, post hunc quartus,

nullus vnquã mihi vel nutu significauit, vt scriberem aduersum sectas. Nec me pudet eiusmodi munerum quæ à summatibus viris vltrò deferuntur. Nã hoc genus testimonijs me vehementer ornari puto, quæ si minus in me competunt, certè plausibilia sunt monumenta, principes viros fauere literis ac pietati, quibus bonis me præditum existimant. Adeò verò me non habent Episcopi πρόμαχον, vt dicar in tanto Ecclesiæ discrimine dormitare. Quàm multa falso hic congerit ex animi sui somnio, qui non patiẽ quicq̃ dici, nisi sensibus compertũ. Nescio an hoc ad me pertineat, quòd indicauit quosdam hic ditescere. A Frobenio minimũ accepi, quodq; vix sufficiebat vni alendo amanuẽsi, & hoc ipsum quod conatus est dare, videlicet ædes, in quibus habitabã, cõstanter recusaui. Interim ob absentiam ex pensione Cęsarea teruntium non accepi, sed in Germania, vbi charissima sunt omnia, meæ pecuniæ iam aliquot florenorum millia cõsumpsi, neq; cuiq̃ assem debeo. Vnde venirent diuitiæ? Nec paucis eget hoc corpusculũ, neq; paruo mihi constant amanuenses, postremò nec frugi sum paterfamilias, nec esse possum cyminopristes. Iam tantum non insanit,

ſanit, quòd ſcripſerim me vereri, ne pleri-
que pro graui iugo hominum portent gra
uius iugum diaboli. Tales quum & ipſi fa-
teantur Euangelico nomini permixtos,
quid eſt, quod ſic in me efferantur? Ta-
les quum & ipſe quoſdam norim, quid
mirum ſi dixi me vereri deteriora? Hunc
locum ita claudit: Quicquid falſorū cri-
minum ſibi in nos euomere Eraſmus per-
mittit, ab ipſiſsimis certè diabolis, id eſt, ca
lumniatoribus ipſi ingeſtum. Hanc ama-
rulentiam in me euomunt patientiſsimi
illi Euangelici, quum hactenus ne vnum
quidem crimen probare potuerint, aut vl
lum mendacium. Tantùm audio, nos, nos,
quaſi tantum ſcripſerim in Eccleſiaſtas
Argentinenſes. Sed homo ciuilis ſubleuat
me, ea mendacia nō cōfinxi ex me, ſed hau
ſta à diabolis, ira præcipiti percitus euo-
mui in membra Chriſti. Quum narrem vel
comperta, vel ab his relata, qui ſunt eiuſdē
profeſsionis, vbi ſunt iſti diaboli? Nos, in-
quit, tribuimus honorē, cui debemus ho-
norem, ac modis omnibus tranquillitati
ſtudemus. Si pronomen nos propriè de-
mōſtrat Argentoratenſes, nihil repugno,
fieri poteſt vt verum dicat. Atqui ſi ſentit
in toto corpore profitentium euangelion
nullos

nullos esse, qui nec honorē habeant, quibus debetur, & publicam tranquillitatem turbent, vanus rumor fuit, Augustæ magistratum aliquamdiu milites alere coactū aduersus populi tumultus. In ea ciuitate in qua tum agebam, quoties edicto cautū, ne diuersæ partis homines conuitijs sese prouocarent? Quàm hoc parum seruatum est ab Euangelicis quibusdam, de omnibus non loquor. Quoties edixit magistratus, ne ab euangelicis fierent clancularij conuentus, quoties ibi concursum est aduersus edictum Senatus, & aduersus datum iusiurandum. Testis est tum tribunus plębis, nunc consul, qui autore Senatu illos, qui fermè trecenti apud Augustinenses, conuenerant, discusit, & periurium magno stomacho exprobrauit. Rursum quū tot armati forum obsiderent, & imagines demolirentur, non obscurum est quid senatui responderint. Et in hoc cœtu multi fuisse dicuntur operæ armatę contra vetustum senatus edictum. Quum in conuentu quodam senatus proponeret conditiones, quibus cum Catholicis transigeretur, quidam è turba voce tumultuosa clamauit, hoc nolumus, hoc nolumus, boni DOmini: qui astitit mihi narrauit. Eodē tempore

pore vir clarissimus Iacobus Sturmius suę ciuitatis tum legatus & consul, nónne populum è suggesto grauiter obiurgauit, quod pleraq; faceret per tumultum, idq́; cordatissimo quoq; approbante? Cùm senatus toties edixisset, ne quis daret occasionem seditionis, quidam præcipuus Euangelij zelotes pulchrè potus à conuiuio nuptiali venit in summum templum, repperit Marium concionantem, à quo quum nihil diceretur, quod ad sectam vllam pertineret: nam tum finiebat concionem: ille seditiosa voce succlamauit, Mentiris monache, vt te percutiat mala pestilētia. Hoc si quis Catholicus fecisset in Ecclesia diuersæ cōmunionis, quod pręmium retulisset? quid supplicij de illo sumptum est? cessit in vicum aliquem ad triduum, & redijt. Audis clementiam Euangelicam. Si commissum fuisset à Catholico, de capite erat periclitandum. Similium exemplorum nullus est numerus. Quum ibidem timeretur seditio, multiq́ue ciuium cōiecti essent in carcerem, quidam rigidus Euangelij satelles, vtinam iuxta nomen suum aliquid boni faciat, iussus est exulare. Pòst etiam Pharellus, ni properasset, ducendus in carcerem. Hæc nulli non notissima sunt, quæ non

referun-

referuntur in magistratus ignominiá, sed in laudem potius, qui sua vigilantia incõditæ multitudinis violentiam temperarit. Ea natura est vulgi tumultus ciere. Quid hæc ad resp? quid ad magistratus? quid ad Ecclesiastas? nisi quicquid etiam ab improbis actum est, ipsorum actum est impulsu. Habitus est honos magistratui, sed grata præscribenti. quis honos habitus est Consuli, qui clàm profugit? Atqui erat is summus magistratus. Quid honoris habitum est magistratui Argentoratensi ab his, qui toties aduersus edictum excuderunt stolidos libellos? Is qui Vulturij scholia excudit ob honorem habitum magistratui, coniectus est in carcerem. Possem innumera recensere, sed desino. At desinant & isti hoc dicere falso falsius, quòd scripserim aliquos sic excussisse iugum Episcoporum, vt nec prophano magistratui pareant. Generalis est sermo meus, quem si hic patronus volebat refellere, docendum erat nusquam in ipsorum Ecclesijs fuisse contēpta magistratuum edicta. Negat Euangelicos vnquã mouisse tumultus, aut procurrisse ad arma. quum proximè procursum esset ad arma hinc atq; hinc ad pugnam paratis viginti millibus, nónne ob

pau-

paululum pecuniæ procursum est? Nónne hic primùm ab Euangelicis arma sumpta sunt? Nam hi erant petitores. Cerasorum expeditionem fuisse, istorum iocus est nō meus. Et homo effrons vrget me, quos tumultus, quæ narrem arma, & adijcit: Quis te, inquit, adeò commouit in tot innocuas Christi Ecclesias? Hoc si rogasset hominem parum ciuilem, qui σῦκα nihil aliud vocare posset quàm σῦκα, ilicò recineret, quis vos commouit aduersus innocuas Christi ecclesias per totum orbē Christianum sparsas, vt eas vestris dogmatibus ac defectionibus turbaretis, tot ouiculas ab ea distraheretis, & orco mitteretis? Ego tam inciuilis non sum, vt hoc pacto respōdeam, tantùm queror esse qui se falso iactant Euangelicos, quum nec tranquillitati studeant, nec magistratui dicto sint audientes. Hic denarrat nobis historiam vanissimam, quam illic vbi res gesta est, nec ipsi euangelici poterunt absque risu legere, Catholicos sumpsisse arma, Euāgelicos inermes supplicem libellū senatui porrexisse, statuā putrem fortè contactam hasta concidisse, motos è senatu, qui vehemēter Euangelium oppugnarant. Imò quum senatus edixisset, ne quis fieret concursus,

& in id

& in id edictum non semel iurassent oēs, nec Euangelici finem facerent, nunc hic nunc illic conueniendi, tandem Catholici adierunt senatum, postulantes vt edictū suum tuerentur, si metus obstaret, quo minus id facerent, se vitæ suæ periculo senatus autoritatem defensuros. Pro hoc studio senatus egit gratias, pollicitus se fore huius animi memorem. Addiderunt Catholici, ni id faceret, se non passuros eiusmodi seditiosos concursus. Deinde quum multò etiam frequentiores concurrerent, semel Catholici armati conuenerunt. Nec Euangelici quoties conueniebant prorsus erant inermes, habebant enses & pugiones. Vbi senserunt Catholicos esse in armis, induerunt & ipsi arma. Ibi consul Catholicus Melchior, vt aliàs sæpe, egregiam operam nauauit reip. Nam oratione seuera suos compescuit, & ab armis discedere compulit. Negat fuisse iactatum, suffigendum in crucem consulem, nisi clàm fugisset. Adeò hic scriptor par sibi ius sumit mentiendi, & mihi mendacium impingendi. Imò hoc ab armatis Euangelicis iactatum fuit in foro palàm, qui audierunt retulerunt. Et in illorum potestate erat tum etiam ipse senatus. Habebant

bombar-

bombardas in foro dispositas, illic incensa pyra pernoctabat, donec extorsissent, quæ volebant. An reuocatus sit consul, ne scio: audio vita defunctum: atq; hominē vergētis ætatis ac valetudinarium ab vxore & ędibus depellere quid aliud est, quàm occidere? Quem autem nō terreret illa exceptio, nisi commiserit aliquid in remp. Atqui oppugnasse Euangelium, dixisse aliquid in hunc aut illum Ecclesiasten, fuisset contra rempub. Cæterùm ij qui dicuntur oppugnasse Euangelium, persuasum habent se oppugnasse sceleratā & impiam hæresim ei reipub. pestilentem, atq; hoc nomine sibi deberi gratiā maximam. Ego non sic ago, tantùm arbitror æquum esse, vt si sibi permittunt damnatam ab orbis primatibus doctrinam tueri, veniam dent illis, qui eam doctrinam, quam verè Christianam esse habent persuasum, non possunt ilicò deserere. Pro nobis, inquiunt, stetit maior populi pars. Et maxima populi pars in Christum clamauit, Crucifige: Et maior Episcoporū pars damnauit Athanasium. Non statim melior, quæ maior. Quis autē dedit promiscuæ turbæ ius pronunciandi de articulis fidei? Sequebatur, inquient, iudicium Ecclesiastarum.

Alius reſponderet, ſed eorum, quos Cæſar & Eccleſiæ primates damnarũt hæreſeos. Verùm immeritò aiunt. qui vnquam hæretici nõ iactarunt ſe præter meritum damnatos? Nónne eadem fuit Donatiſtarum, Arrianorum, & Manichæorum querimonia? quid eſt, ait quidam, ſi hic non eſt afflatus ſpiritus? quaſi non idem probabilius dicere valeat Mahumetes. Hæc commemoro, non quòd his conuitijs illos notatos velim, ſed vt declarem viris literarum imperitis non oportere eſſe capitale, ſi religionem à maioribus traditam, non ſuſtinent relinquere, recuſantq́ue ſe eis addicere ſectis, quas vident à ſummis vtriuſque ſtatus principibus, à probatiſsimis hoc æuo theologis damnatas. Iã quæ narrat de tumultu Bernatum, & tumultu Tigurino, de tumultu Rotvuilẽſi, de tumultu Heſſorum, quoniam earum leuis & inconſtans rumoris ad nos permanat aura, alijs cedam reſpondendi prouinciam, nihil tamen dubito, quin & hic multis fucis rem phalerarit. Quid enim aliud expectes ab eo, qui profitetur Euangelion technis ac fucis propagandum? Hic perinde quaſi rem pulchrè peroraſſet, debacchatur in me conuitijs. Ego verò mihi non duco

pro-

probro à talibus incefsi, quos pro damnatis habet orbis Chriſtiani multò maxima pars. Ipſi ſe laudant, & mutuum, vt habet prouerbium, muli ſcabunt: At oportet Eccleſiaſten habere bonum teſtimonium, etiam ab his qui foris ſunt. Quid diuinius Luthero, ſi illi de ſe prædicanti crederemus? Paulus dicit: Puto quòd & ego ſpiritum Dei habeam: Iſti ſibi ſic arroganter vindicant ſpiritum, vt alijs contumelioſe adimãt. Paulus ait ſe peccatorum primum: Iſte dicit: Reputate num ab incunabulis ſic vitam inſtituerim, vt an bonorum virorum loco habẽdi ſimus, quiſquam bonus vnquam dubitauerit. Quis me arguet de peccato ſolus Chriſtus potuit dicere. Et, annis iam nõ paucis, quũ in diuinis, tum in humanis literis ita ſtipendia fecimus, inquit, vt temerè quod docemus nõ ſit. quantò decẽtius laudaret illos os alienum. Facilis eſt victoria, ſi reo concedas ius pronunciandi, tum de ſeſe, tum de actoribus ac iudicibus. quoties Catholici moliũtur aliquid pro defenſione ſuæ fidei, ſeditioſus tumultus eſt: quoties ipſi faciunt eadem pro ſuo inſtituto, ſanctiſsimus eſt Euãgelij zelus, quodq́; manifeſtius eſt, quàm vt excuſari poſsit ὑποκορίζει,

ſed tam impudēter, vt videatur Indis ſcribere, qui nihil rerum geſtarū alioqui ſcire potuerint. Nec vnquam hic patronus recedit à ſuo colore, quod in genere dicitur, detorquet ad omnes, ſingulas, vniuerſas, & totas Eccleſias, quaſi tot reſpub. tot Eccleſias, tot principes funditus extinctos velim. Quî ſic? Quia non probaui mores quorundam, qui ſe falſo venditant Euangelij titulo. Numerent reſpub. ſuas & noſtras, Eccleſias ſuas & noſtras, principes ſuos & noſtros, & agnoſcent quantò plures ipſi funditus extinctos volūt, quos toties clamitant in Chriſtum blaſphemos, euangelicæ veritatis hoſtes, vaſa iræ, innocentum occiſores. Nullum tam atrox dictum in meis libris vſquam inuenient. Qui tantoperè deteſtatur ſeditionis crimen, nónne hoc libro declarat ſe ſeditionibus excitandis natum? Quin in eos iſta exaggerat, qui tot libris editis declarāt ipſos eſſe manifeſtos hæreticos, & exitiales ſchiſmaticos, qui ipſorum Eccleſias appellant Conciliabula Satanæ, Eccleſiaſtas interfectores animarum, alijsq́; pingunt coloribus. Hi potius hoc agunt, vt omnes ipſorū Eccleſiæ funditus tollantur. In eos clament, qui Cæſarem extimulant, vt in iſtos omni

genere suppliciorũ sæuiat. Ego quod semper egi, etiamnum ago, vt principum animos à sæuiendo reuocem, vtinam pari studio ipsi se reuocent à contentiosis dogmatibus. Dixi in aliquot ciuitatibus rerum summam esse penes populum. Vbi ex infima plebis nota sedent in senatu, vbi mouentur senatu, qui populo non placent, vbi populus nõ paret edictis, nisi commodis, vbi populus contra senatus edictum didicit armatus occupare forum, & bombardis dispositis minari ciuitati, an nõ illic rerum summa est penes populum? Impingũt aliud luculentũ mendacium: Scripsi Othonem ex ædibus Capitonis prodisse ad excudendum libellum, quem in me scripserat. Imò hoc ipse Capito suis ad me literis propria manu scriptis, fassus est. Othonẽ Basilea reuersum biduum apud se fuisse, priusquam libellum excuderet, vt nihil frontis habet hic Euangelicus rabula. De Thrasone nunc dissimulo, tametsi ex ipsius Capitonis literis satis deprehendi, quàm esset ab ipso alienus, & famulus quem Argentoratum miseram, retulit illos interdum in eodem lauare balneo. quanquam alios referre possum supra modum euangelicos, à quibus ille studiose

colit̃.Sed quid hic reclamãt?Nónne Hutte nũ pleriq; euãgelici habuerũt in delicijs? Vitã hominis norũt oẽs.Etiã Lutherũ male habuit mea ſpõgia, cũ tã multa ſuppreſſerim,quę partim in me cõmiſerat,partim vulgo quoq; decantabant̃. Si Hedio preſſit literas,vnde reſciuit ille Thraſo? Othoni fuiſſe conſciũ Capitonẽ initiò minimè ſuſpicatus ſum,& mirabar illã accuratã excuſationẽ. Nulla in re ſe excuſauit diligentiùs,cùm nullus expoſtularet,ego ne ſuſpicarer quidẽ.Scripſit ad me bis, nõ hoc cõtentus,ſcripſit bis ad Oecolampadium eadem de re ad Beatum Renanũ, & niſi fallor ad Frobeniũ. Oecolampadius cùm ex prioribus literis Capitonem mihi excuſaret, rogabat, nunquid de ipſo ſuſpicarer: abſit inquã, vt de tali amico talẽ ſuſpicionem demittã in pectus meũ. Quum acceptis poſterioribus denuò mecũ loqueret̃, rogauit idẽ. Reſpondi me nihil anteà ſuſpicatũ,tantũ ex tam anxia purgatione leuẽ cõcepiſſe ſuſpiciunculã. Arriſit Oecolampadius, velut aſſentiẽs. Sed ad Hedionẽ ſcribẽs,nego me quicquã inimicè ſuſpicari de Capitone. Quæ hic pugnantia, ſi quod prius nõ feci, poſteà cœpi ſuſpicari, aut ſi quod faciebã,ciuilitatis cauſa diſſi-

mu-

mulaui? Quod aũt crimen eſt, ſi tribuo illi vafriciem? Eandem tribuo interim Paulo Apoſtolo. Otho nunc eſt reuerens Dei & vtilis reip. doctor, quum, vt antè dixi, quidam eccleſiaſtes, & haud ſcio an hic ipſe, qui putatur huius libri opifex, ſuis ad me literis appellarit nebulonẽ vix ſuæ tolerabilem Eccleſiæ. De Hedione nihil queſtus ſum, niſi quòd epiſtolam nec preſsit, nec diſsimulauit, ſed miſericorditer ſubleuauit illius ſanctiſsimi negotij contra Senatus edictum molitores, verùm eius miſericordiæ illũ pòſt pœnituit. Poſteaquàm enim illos bis ſubleuaſſet, alioqui puniendos acriter, quod ipſe ſuis ad me literis faſſus eſt, cùm ſentiret illos tertiò ad eũdem rediſſe ludũ, negauit ſe velle pòſt illis opitulari, ſed mihi permiſit, facerem de illis quod vellem, quum ter ictus eſſem. Sed illi erant fratres Euangelici. Succurrendũ erat ſcilicet illis meo malo. Et iſti ſunt viri timentes Deum, & omnis honeſtatis amantes, iſti qui parent ſuo magiſtratui, iſti qui ſtudẽt prodeſſe omnibus, lædere neminem. Et hæc ſunt illa manifeſta & immania Eraſmi mendacia. Iam quod addit de damnatis diſciplinis, nónne Lutherus totam philoſophiam Ariſtotelicam appellat

 diabo-

diabolicam? nónne idem ſcripſit omnem diſciplinam tam practicam quàm ſpeculatiuam eſſe damnatam, omnes ſcientias ſpeculatiuas eſſe peccata & errores? Nónne Melanchthon aliquando dānauit ſcholas publicas? Nunc hic dicit, maneāt ſcholæ quæ bonæ ſunt, vitia corrigantur. Quin idem dicit de rebus eccleſiaſticis, quas indiſcriminatim conuellunt? Nónne paſsim & publicè clamabat Pharellus omnes humanas diſciplinas eſſe inuenta Diaboli? Pòſt vbi viderunt hoc fore incommodum ſectæ, verterunt orationem, cœperuntq́; conducere profeſſores, quo fructu, quóue animo neſcio. De Argentinenſi eccleſiaſta, qui diſciplinas omnes pro concione damnarat, excepta lingua Hebraica, & paucula portione linguæ græcæ, ipſe fatetur fuiſſe rumorem per orbē ſparſum: q̃ hic verè id excuſet, neſcio, apud me certè caret fide, qui fucos probat in viro euangelico. Patrocinaturus Zvuinglio, ſermonem auſpicatur à luculento mendacio. Nuſquam, inquit, non facit ſeditioſum Zvuinglium, nec adfert niſi duo loca tribus verbis perſtricta. Ea latebant in aceruis epiſtolarum. Nec tamen appello Zvuinglium ſeditioſum, ſed improbo quòd rem euangelicā ſeditioſe

gerat.

gerat. An non hæc mea vox fuit, ad primum gustum libellorum Lutheri: Res exibit in seditionem? Huius rei testis esto si velit Capito. An non seditiose rem gerit, qui tanta petulantia debacchatur in Cæsarem, reges, ac principes præpotentes? In Pontificem, Cardinales & Episcopos? Mihi semper displicuit, quòd initiò Zvuinglius tam odiose scriberet Episcopo suo. Deinde, nónne imaginum eiectio per se res est seditiosa? Etiam cruenta, si Canonici & Catholici voluissent tueri, quod tuendum putant. Nónne bellè probatum est, quòd Zvuinglium nusquam non facio seditiosum? Sed quamobrem tantopere nunc horrent seditionis vocabulum, quum Lutherus scripserit eam esse peculiarem euangelij naturam, mouere seditiones: celebreturq; Zvuinglij dictũ: Euangelium vult sanguinem? Postremò, cũ Lutheri in scriptis violentiam damnẽt etiam qui sunt illi iuratissimi, quũ Carolstadius agnouerit petulantiæ crimen, quũ hic fateatur Pharellum incircumspectiore zelo rẽ gessisse, quid est quòd mihi idẽ dicenti indignantur? An fides erat ruitura, si fuissent incolumes imagines? Rursus, an nõ seditiosum vasa sacra cõflare in mone- *Seditio Lutheranorũ*

 tam?

tam? Exigere abbates sua ditione? mouere magistratu qui veterem Ecclesiæ disciplinam deserere noluerunt? Nec cuiquã obscurum est, quicquid Senatus facit, euangelistarum instinctu facere. Prætereo quędam friuola, quæ arrodit. Addit à me notatos euangelistas Basileenses, quòd Lutherum in me instigarunt. Fieri potest vt hoc verũ sit, à me tamẽ nusquã scriptũ est, sed ne cogitatũ quidẽ. Ad Michaelem Linconiensem Episcopum in genere scribo, isti noui Euangelistæ, sentiẽs de quodã apud Augustam, de quo mihi quidam vir probatissimæ fidei significarat, quòd Lutherũ qui librum instituerat quidẽ, sed quorundã arbitror hortatu intermiserat, acriter vt perficeret extimularit. Vnde verò nouit iste asseuerator neminẽ fuisse Basileæ, qui Lutherũ instigarit? An si quidam dehortati sunt, ideo nemo fuit, qui hortaretur? Alibi vocat me ingratũ hospitem, ꝙ quorundã ibi mores mihi nõ ꝓbentur? Si Basileensis Senatus velit omnibus bellũ indicere, quibus displicẽt aliqui ciues, habiturus est multũ negotij. Nec ipsi Senatui placent omnes omnium euangelicorum mores, vel hoc argumento, quòd in multos animaduerterũt. Fateor me multis annis

nis vſum eius ciuitatis hoſpitio, ſed illi ni fallor viciſsim talem hoſpitem præſtiti, vt ſibi gratulari poſsit, ſi nunquàm contingat hoſpes incõmodior. Quòd ſi fas eſt aliquid magnificè de me ipſo dicere, arbitror mihi ciuitatem Baſileenſem non minus debere, quàm ego debeam illi. Aerariũ illius teruntio non minui, illic de meo aliquot florenorum millia conſumpſi. A Frobenio minimum accepi, ne ex legato quidem obolum, quòd mors illi fuerit ſubita. Atq; ita illic vixi, vt nemini ſit quod de me queratur, niſi quòd ſectæ noluerim dare nomen. Poſtremò Oecolampadius præfans in Eſaiã, me recenſet inter ornamẽta illius reip. ſi mea repudiant teſtimonia. Supeſt Pharellus, bone Chriſte, quàm pius, q̃ innocens vir. In quẽ quid ſcripſerim non referũt. Si nũc eſt cõuerſus ad meliorẽ frugẽ, gratulor homini. Qualis olim erat, mihi valdè diſplicuit, ſeditioſus, acidæ linguæ, & vaniſsimus. Sic rem geſsit in mõte Pellicardi, vt bis inde profugerit. Baſileenſis ſenatus, quũ cuperet ciuitatẽ eſſe tutã à ſeditiõe, iuſsit Pharellũ ire exulatũ. Oecolãpadius cuius mẽſa tũ vtebatur, nõ ſemel obiurgauit hominem, quòd obtrectandi nullum faceret finẽ, teſtatus ſe non *Oecolamp. detractat.*

poſſe

posse ferre in conuiuio tam amarulentas obtrectatiões. Id mihi narrauit, qui in eadem mensa accumbebat, vir integritatis rarissimæ. Appellarat me Balaam, hac de causa cum illo expostulanti, nihil certi respondit, sed sic elapsus est, vt diceret negotiatorem quendam Dupletum hoc dixisse, is enim iam abierat: & fieri potest vt dixerit, sed à Pharello doctus. De colloquio nostro scripsit epistolam ad fratres Constantiã, in qua sæpe in decem versibus non erat vnum verbum verum. Omitto iam leuiora. Talem expertus, si talem depinxi, nihil mirum. Nunc qualis sit, nescio. Quid Carthusianus quidam in illum dixerit, & asseuerarit, mea nihil refert. In epistola tamen ficto nomine illum noto, hic modestus maluit verum ponere, quò magis addat inuidiam. Et hic rursus occurrit illud insigne mendacium, me concionatores omnes, omnes ipsorum Ecclesias infinitis mendacijs deturpare. Atque interim quicunque pugnant pro Ecclesia Catholica, appellat confessos innocentiæ hostes, & sibi videtur nunquam mentiri. quumque toties iteret, inculcet, infinita mendacia, ne vnum quidem adhuc probauit. Sacerdotem Basileæ virgis

Mendacia Oecolamp.

cæsum,

cæſum, mox vrbe eiectum, non nomino. Quid refert, quando deſierat concionari? Iſtius erat profeſsionis. Is vt publicus ferebat rumor, & in carcere, & extra portam, quum à carnifice dimitteretur, publicè teſtatus eſt, ſe poſteaquàm ſe illi ſectæ addixerat, in omne flagitiorum genus proruiſſe, quid de tota ſecta dixerit, non referam: Nam audita narro, ſed de propinquo. De ruſtico qui in nouo pago ſubitò poſt ſumptum panem, quem vulgò appellant hoſtiã, examinatus eſt, nihil ſcripſi, niſi quod publicus, isque conſtans rumor ferebat. Nec ita multum iſtius narratio diſſonat à mea. Accepit hoſtiam, eam fractam more ſacerdotum comedit, mox bibit & perijt. Nec dubito, quin hanc rem denarret, vt cętera omnia. Leniter, inquit, inclinans in ędituum expirauit, quin potius dixit obdormiuit in domino. Si nihil peccauit, cur cadauer in prophano ſepultũ eſt? Sed fauet homini quòd irriſerit Euchariſtiam, & ille crimine inijt gratiam.

Reſtat adhuc vnum mendacium, ſed luculentum, nam homo ciuilis innumera prætermittit. Scripſi alicubi, vbicunque regnat Lutheraniſmus, ibi frigere literarum ſtudium. Si hoc non erat verum,

rum, quur Lutherus tam ſolicitè coactus eſt homines ad literarum amorẽ reuocare? Quur idẽ coactus eſt facere Melanchthon, qui nõ diſsimulabat eſſe verũ quod dico? Quàm floreat Academia Vuittẽbergenſis, neſcio. Si quid eſt illic bonę literaturę, Melanchthoni debetur. Quid fiat in pagis, neſcio. Certè nuper cœperunt aliquot ciuitates cõducere profeſſores, ſed opus erit, vt & auditores conducantur. Tam ardet ſtudiorum amor. Non excutio nunc, quo id cõſilio fiat. Conferat Academiam Vuittenbergenſem cũ Louanienſi, aut Pariſienſi, quanquam & hæ nonnihil detrimenti ſentiunt ex Lutheraniſmo. Typographi narrant ſe ante hoc Euangelium citius diſtrahere ſolitos tria voluminum millia, quàm nunc diſtrahant ſexcenta, vel hoc arguit quàm floreant ſtudia literarum. quid aũt iſti ferè docent niſi linguas? Sed proferant nobis vel tres, qui in Lutheraniſmo feliciter in literis progreſsi ſunt. Hic paucitas literis ſe dedentium imputatur ſacerdotibus, nam in hunc campum libenter expatiatur, quum in Anglia tot ſtudioſorũ collegia ſint Epiſcoporũ impendijs magnificentiſsimè extructa, & additi cẽſus ampli, tot adoleſcẽtes alãtur eorundem

dē & ſacerdotū munificētia. Nec in Anglia tantū, verū & in Brabātia & in Gallia. quòd alicubi ſcripſi (nihil enim non excutiunt) quod quidā Euangelici ducant vxores dotatas, quòd nihil quærant niſi cenſum, & vxorē quoſdam videri nō ob aliud ducere, niſi quia vetitum eſt: Priora duo per ſe nota ſunt, in quoſdā, nec enim in oēs dictū eſt, fatent hoc ipſi ſymmiſtæ paulò ſaniores. Tertiū demiror quur negēt, quum hoc ipſi doceant impias Pontificum leges fortiter abrumpendas, & quædam ob hoc ipſum faciēda, quia pōtificum edictis interdicta ſint. Si hoc libris editis docēt Lutherus & Zvuinglius, quid in me deſtomachant? Ficulnū verò patrociniū, ſi ideo putant ſibi licere cōtrahere matrimonium, quòd multi ſacerdotes cōtra leges diuinas alāt cōcubinas. Aſſumūt, quòd obiter laudans Apoſtolorū ſpontaneā cōtinentiam dixerim Apoſtolos cùm eis liceret ducere vxores, abſtinuiſſe à coniugio, ſi qui duxerant, vertiſſe in ſorores. Chriſtus in Euāgelio dixit, qui poteſt capere capiat: nec vſquam legimus ab illo abrogatum Apoſtolis ducēdi ius. Nullus igitur inquit, nos cogere poteſt ad cœlibatum. Verùm Apoſtoli non abiurarant matrimonium. Quis *Matrimoniū*

coegit iſtos abdicare ſibi ius contrahendi matrimonij? Saltem hoc differunt ab Apoſtolis.

Efferunt honorabile coniugium, & thorum immaculatum, ſed innui nonnullos Euangelicos, nam in genere loquutus ſum, nihilo caſtiùs colere coniugium, quàm Catholicos. Iubet me proferre fabulas. Quid attinet, quum vulgò narrentur? Negat eſſe notiſsima quum falſa ſint, & tamen ipſe fatetur de duobus. Ego noui monachum, qui pro vna duxerit tres. Noui ſacrificum, virum alioqui probum, qui duxit vxorem quam pòſt comperit alteri nupſiſſe. Similia permulta de monachorum & monacharum coniugijs referuntur, qui ductas repudiarint eodem iure quo duxerant. Iam an inter Euangelicos minus indulgeatur libidini, an minus ſit adulteriorum. Quid Argentorati fiat, neſcio, quid alibi compertum ſit, mecum nouit populus. Iam vt donemus iſtis Euangelij preconibus eſſe fas vxores ducere, quis non iure admiretur ouiculas mactationi deſtinatas, nihil in hoc mundo quærentes præter CHRISTI gloriam, tot curis diſtrictos, tot afflictionibus obnoxios, quibus accedit & paupertas,

pertas, onus tum miserum tum graue, non posse viuere sine vxoribus, quas tam multi ob leuiores causas aut non ducunt, aut ductas nollent? At istis omnis tragœdia exit in catastrophen comicã. Vbi contigit vxor, occinitur valete & plaudite. Quæ malum est ista tanta salacitas, quam tot mala non possunt excutere, vnde tanta carnis rebellio, in his qui se iactant agi spiritu Christi? In epistola ad Aurbachium Stromerum scripsi, nobis ex hoc Euangelio nouo gigni genus hominum, quod mihi minimè placeret. Hic homo dialecticus putat graue crimen admissum, quòd non dixerim ex occasione Euangelij gigni, quum ipsorum Euangelium sine dubio sit Euágelium Christi. An quod per occasionem gignit, non gignit? An non Lutherus glorians scripsit hanc esse Euangelij naturam, vt coniunctissimos distrahat? Deum immortalem, quanta calumniandi scabies hunc tenet, qui è syllabis venatur, quod arrodat: quod genus est & illud: In epistola scripseram Apostolos ne gentium quidem idola fuisse demolitos. Hic miratur quid mihi acciderit, quum hæc scriberem, quasi id temporis Christiani habuerint idola. Ve-

rùm ſi cõplexim legas, nihil eſt ſcrupuli. Apoſtoli adeò nõ ſubmouebant, quæ mala nõ erant, vt ne gentium quidem idola ſuſtulerint. Atq; hoc loco rurſus quod in genere dictum eſt, ſic interpretatur, quaſi dictum ſit in vniuerſos. Et hic ſcilicet erat exclamandi locus. O incõſultam iram & temerariam, ὢ φιλαυτία. quantò decentius quis ad iſta reclamet, Io Bacche. Taxaui quoſdã qui ſe iactãt Lutheranos, quum id quod pręcipuè commendat negligant, fidem. Id rurſus ſic interpretatur, quaſi in omnes Euangelicos dictum ſit. Si nulli ſunt tales in iſtorum grege, tum vociferetur in me: ſi ſunt admixti plurimi, quid eſt, quod ſeditioſe quiritatur, nos, nos, nos? Et interim nõ vult nos ſcire, qui ſint iſti nos. Sed en tibi aliud crimen: Lutherum comparaui Atæ, Melanchthonem Litæ. Hoc eò detorquet, quaſi ob id dixerim Aten, quòd fidẽ tantoperè prędicarit. Vnde hoc ſomnium illi venit in mentẽ? Imò locus ipſe declarat me loqui de violentia ſcriptionis, quæ turbauit orbẽ ac plurimorum animos offendit. Iamdudũ me piget huiuſmodi nugalibus reſpõdere. Rurſum quòd dixi me vereri, ne ſub vmbra Euãgelij exorirẽtur, qui nihil omninò crederẽt,

ſic interpretatũ, quaſi in eos omnes dictum ſit. Imò iam nunc aliquot tales exoriuntur magno piorũ hominũ dolore. Et qui tales ſunt, ſub nulla vmbra tutiùs latere poſſunt, quàm ſub iſtorũ Euangelio. Deinde multi parum firma fide, quum vidẽt conuelli priſca Eccleſiæ decreta, & ipſos inter ſe variare dogmatibus, incipiunt dubitare de tota fide Catholica. Quid hic habet, quod clamet nos, nos, nos?

Exagitat, quod dixerim ad bonos verte oculos, quum quid his verbis ſenſerim, non intelligat. Verba mea ſic habent: Dices nihil tam felix vnquã fuit in rebus humanis, quin malorum admixtu vitiaretur. Ad bonos verte oculos. Hic enim ſermo affingitur Euangelico monenti, vt præteritis ijs, qui improbè viuũt ſub Euãgelij obtẽtu, oculos vertamus ad eos, qui piè viuunt. Ille ſic interpretatur, quaſi ſenſerim etiam optimum quemq; apud ipſos his vitijs obnoxios eſſe, quæ commemoro: & in margine annotauit, pręcipua chriſti contumelia. Quid non blateraret in me ſi quid ſimile accidiſſet? Non pudebit iſtum apoſtolicum virum vnquã tam ſtolidi facti? quum ego latinè ac dilucidè ſim loquutus.

Adſimili errore impingũt mihi, quòd mẽtitus ſim iſtos docere ſanctorum miracula eſſe dæmonũ præſtigias, meq; redarguunt per Apoſtolos aliosq; ſanctos, qui miraculis inclaruerũt, quũ ego loquar de miraculis, quæ fiunt ex inuocatione Diuorũ. An nõ hæc docuerũt Zvuinglius & Oecolampadius, qui & apparitiones animarum tribuunt dęmonũ ludibrijs? quid hoc calumniatore impudentius? Rurſus quòd dixi forſitã meæ fuiſſe infelicitatis, quòd hactenus neminẽ mihi noſſe contigit, qui non ſit factus ſeipſo deterior, huc detorquet, quaſi in vniuerſos dictũ. Obijcit mihi Oecolãpadi⁹ Capitonẽ, Zvuinglium, & pleroſq; alios, rogãs in quo degenerarint. Cum Pellicano poſteaquã ſe prorſus addixit Euãgelio, nihil habui cõmercij, is certè epiſtolis editis multò aliũ ſe declarauit, quàm expectarã, aut quàm olim ſe præbuit. Cum Oecolãpadio, cuius ingeniũ & doctrinã amaui, fateor, nihil iam annis aliquot fuit familiaritatis. Cũ Zvuinglio ſemel atq; iterũ egi conuiuiũ, colloquutus aliquoties ante annos octo. Quo tẽpore hominem liberè admonui, vt à nouis dogmatibus abſtineret. Eam admonitionẽ tũ aut boni cõſuluit, aut probè diſsimula-

mulauit. Cũ Hedione ſemel dũtaxat quod ſciã, egi conuiuiũ, nec inter nos vllus fuit ſermo peculiaris. Capitonẽ, fateor, amaui familiariter, viſus eſt mihi tum vir pius & humanus. Nulli horũ remiſi ciuilis amicitiæ teſſeram, familiaritatẽ abrupi, ne vulgus exiſtimaret nos in dogmatibus cõſentire. Pellicanũ ex quo Tigurum cõmigrauit, vidi nunquã, nec Capitonẽ quidẽ poſteaquã ſe cõtulit Argentoratũ. Itaq; quales olim fuerint vtcũq; noſſe potui: quales nũc ſint haud noui, niſi ſi quid ex libellis cõijci poteſt, à quibus tamẽ iam triẽnium abſtinui, ſentiens me tali lectione nihilo fieri meliorẽ. Si quid in eos vulgo iactatꝰ, nõ ſum tam leuis, vt ea mittã in literas: & ſi quid noſſem arcani criminis, haud euulgarẽ, vtcunq; prouocat hic ſeditionis artifex. Certè Vulturius alio candore fideque fuit olim, quàm nunc ſe declarauit eſſe. In ſumma, quantũ è ſcriptis alijsq; ſignis cõijcere licuit, nullus eſt omniũ, in cuius fidẽ huius animulę ſalutẽ velim cõmittere. Porrò ꝙ in hoc quoq; ſeſe æquãt Apoſtolis, ꝙ nihil omninò gerãt vi, ſcio multos nõ ſine riſu lecturos. Fortaſſe nec hoc ꝙ ſuos martyres cõferunt cũ priſcis Eccleſię martyribus, qui ſanguine ſuo teſtimoniũ

reddidere Christo. Si illos rectè cõferunt cum Stephano & Laurẽtio, meritò Cæsar cõferendus est cũ Nerone, Diocletiano, & Maxentio. Calumnosum mendaciũ appellãt, quòd dixi, secundũ istos Christi sponsam tot annis cæcã fuisse, stertẽte sponso. Negat sponsum stertere vnquã, quasi non dixerim hoc εἰρωνικῶς. Atqui qui vocãt abominationẽ & idololatriã, quod Ecclesia tot annis religiose coluit & docuit, nónne illis ceca fuit stertẽte sponso? qui docẽt baptismũ nulli necessarium ad salutẽ, qui docẽt in Eucharistia nihil esse nisi panẽ & vinũ, aliaq; permulta similia, qui dicũt veteres ecclesiæ doctores scripsisse meras ineptias, & periculũ esse, ne oẽs sint apud inferos, nónne faciũt cæcã Ecclesiã? Erat & illud ingẽs mendaciũ, ꝙ Lutherũ, quem prius tantũ nõ pro Deo habebãt, nũc illis scripsi delirare. Nec agnoscũt hyperbolen, nõ admodũ inuerecundã. Cuius dogmata vt oracula suscipiebãt, adeò, vt pro illis irent in ignẽ, quẽ Põtificibus, synodis generalibus, & omnibus Ecclesię doctoribus pręferebãt, quẽ nusquã labi pędicabãt, quantũ abest, vt pro Deo habuerint? Nunc, inquiũt, non delirat omninò nobis. Nobis, nobis, ꝗ sitis, nescio, in genere locut' sum.

Eas voces, delirat Lutherus, ſcribit humano ſpiritu, quotidie audiebamus Baſileæ. Si ſemper velint reſpõdere per nobis: oĩa mẽtitus eſt Eraſmus. Nam mihi de ignotis ꝙduis ipſi poſſunt cõfingere. Illud qua frõte multi lecturi ſint neſcio. Scribit: profer vel vnũ, cui teruntius à noſtris adẽptus ſit, eò ꝙ diuerſam religionẽ ſequat̃, quũ conſtet alicubi multos pecunia mulctatos, ꝙ Euchariſtiã recepiſſent in vicinis pagis, de ſpoliatis tẽplis, de acciſis cẽſibus multorũ taceo. Exagitat & illud, quòd ſcripſi leuiſſimũ quẽq; iſtis ſectis accedere, nimirũ de vulgo ac mihi notis loquẽs. Sunt enim in his plerique tenues, decoctores, profugi, deſertores inſtituti ſui, nouarũ rerum ac licẽtiæ cupidi, iuuenes, mulierculæ incogitantes, operę mercenarię, parũ cordati, errones, milites, quidam etiam criminibus infames, per huiuſmodi magna fabulæ pars initiò geſta eſt alicubi, rurſus teſtor me de notis loqui. Quales ſint Argẽtorati nõ noui. quę ſtulta ſunt, inquit, mundi, elegit Deus, ſed inter iſtos ſunt aliȷs titulis clari, quos hic nõ referam. Vt oſtendat nõ eſſe leues omnes, qui Euangelium amplectuntur, ꝓfert nobis principẽ Heſſorum, quem eximium Germanię decus vocat, &

Electorẽ Saxonię ducẽ, quorũ vterq; mihi ne de facie quidẽ notus est, vterq; lõgo regionum interuallo à nobis dissitus, vt ad nos vix tenuis famæ perlabatur aura. quid illi probent, improbéntve nescio. Mihi nõ fit verisimile illos per omnia probare quæ ab istis vel fiunt, vel scribuntur, p̄sertim de Eucharistia. Itaq; cũ illa scriberẽ, nihil minus cogitabã, quàm de principibus, & tamen nihil prohibet eundẽ esse principem & leuẽ. quàm contemnant opes euãgelistæ, quantúmve habeant in scrinijs, nescio: de quibusdã parũ secũdus est rumor. Hic scilicet ex arte mouet affectus à misericordia, clamitans ipsos solos esse, quibus & pauptas & diuitiæ probro dent, quis nõ illachrymet? At quid mirum si inter multos egenos, sint aliquot opulẽti? Paupertas si necessitatis est, nulli probro vertẽda est, sed illi risu digni, qui se venditant euãgelij nomine, quũ nihil habeant euangelicũ præter egestatẽ. Eos quoq; meritò quis taxet, qui sub vmbra nominis euãgelici colligunt opes. An nulli sint qui hoc egerint, tẽpus omnia retegens patefaciet. De regno quod scripsi, plebẽ lingua tẽperare, magistratũ nihil gerere, nisi ex ipsorũ sentẽtia, senatu mouere, qui à doctrina ipsorũ dissentiunt,

ſentiunt, cõijcere in carcerem, qui verbo ipſos tetigerit, fœderibus ſeſe cõmunire, an nõ hoc eſt regnare? Dãnauit hoc in illis egregius ille vir Iacobus Faber, quũ metu ceſſerat Gallijs, & in Germaniã conceſſerat. Multa prætereã oportet, tãta eſt huius loquacitas, tã tragica verborũ ſingulorum exaggeratio. Dixi quoſdã iſtorũ importunis ſcriptis, ac ſeditioſa pdicatione effeciſſe, vt res in diuerſum ceſſerit, & pro captata libertate duplicata ſit ſeruitus, ijſq; tyrannis ſit addita, quos conabant̃ à tyrannide deijcere. Si nuſquã ſunt aut fuerũt, in quos iſta quadrent, mẽtitus eſt Eraſmus: ſin multi tales ſunt, nihil frõtis habent iſti, q nuſquam nõ exaggerant, quod diris, immanibus, atrocibus, in ipſos confictis mẽdacijs principes & orbẽ vniuerſum in eorũ exitium cõcitauerim. Sed nõ audebunt opinor, inficiari, Lutherũ violentia ſcribendi, cõuitijs & ſannis multorũ animos vel abalienaſſe, vel etiã aduerſus doctrinã ipſius irritaſſe. Hoc ipſi fatent̃ in hoc ipſo libello. Idẽ fatentur de Pharello. quid? Videtur Lutherus oĩa feciſſe, vt Pontificẽ, regẽ Angliæ, Ducem Georgium, Cæſarẽ, quem & ipſum odioſe perſtringit, vt ad euangeliũ pelliceret? Videtur Zvuinglius nihil intẽ-
 tatum

tatum reliquiſſe, vt Epiſcopum Conſtantiẽſem attraheret? Omitto cæteros. Reprehenderũt, inquit, & Apoſtoli vitia Iudæorum ac gentiũ, ſed illorũ obiurgatio multo charitatis melle cõdita eſt, nec omninò quicq̃ ſimile. Chriſtus interdũ ſtomachat̃ in Phariſæos, ſed is nouerat omniũ corda. Paulus appellat pſeudapoſtolos, canes, & operarios malos, abſtinens interim à nominibus. Hæc omnia videri poſsint blandimenta, ſi conferantur cum his quæ quidã Euangelici ſcripſerunt in pontificẽ, Epiſcopos oẽs, in ſacerdotes, & principes chriſtianos. Nec ſtatim quemlibet decet, quod decuit Paulũ. Indecorè clamant in alios, in quos poſſunt atrociora retorqueri. Quę inquient? Vt nihil aliud, hæreſis & ſchiſma. Qui verbis odioſis ꝓponit, quę cõmodè ꝓpoſita fortaſſe, ꝓbari poterant, num is oĩa facit, quę poterãt oẽs allicere? Doctor Vueſellus multa habet cũ Luthero communia, ſed quantò Chriſtianius ac modeſtius ille proponit ſua dogmata, quàm iſtorũ plerique faciunt. Nõ inficiatur hic Bucephalus inter monachos olim extitiſſe viros eximios: Quin fatetur & hodie tales eſſe aliquot. Cæterùm qui potuerũt eſſe pij, qui cæremonijs vtebantur, qui ſacrificabant,
dice-

dicebant preces, ieiunabant ex prȩscripto, vtebantur delectu ciborũ, quæ oĩa cõstanter affirmant aduersari Euangelio? Adeóne rapuit istum mihi maledicendi libido, vt eodem in opere loquatur pugnantia? Deiecerunt, vt inquit, in multorum conscientijs regnum Pontificis, sed idem antea in suis conscientijs fecerant innumeri, nihil habẽtes pensi. Quanquàm ego de cõscientijs non sum loquutus, sed de externa tyrannide, sic enim illi vocant Ecclesiasticam potestatẽ. Interim quod dixi de sæuitia quorundã Theologorũ ac monachorũ, sic interpretatus quasi in singulos & vniuersos dixerim, videtur omne proloquiũ indefinitũ habere pro vniuersali.

Probat hoc votum meum, vt quæ officiunt pietati, cõmoda prudentiq; curatiõe sanentur, quæ pia sunt, in his animo Christiano consentiamus, quæ sunt ἀδιάφορα, sinamus in his suo quenq; sensu abũdare: Quæ sunt ardua, nec adhuc ad plenum discussa, sic in aliud tẽpus prorogent, vt interim maneat inter sentẽtia discordes, beneuolentiæ concordia, donec & illa Deus olim reuelare dignetur. Deniq; si quid irrepsit malorum, fiat quod à probatis medicis fieri solet, vitia rerum tollantur,

non

non res ipsæ. Hoc consilium meum probat hac sanè lege, vt ipsi nobis pronũciẽt, quæ pietati officiant, quæ sint media, quæ ardua: & inter ardua ponit dogma de Eucharistia. Hoc demiror qua fronte nobis concedent, qui fortiter affirmant esse sceleratissimam idololatriam adorare panẽ pro Christo, quum vestes sacras, & imagines, preces horarias, præscripta ieiunia nullo pacto férant. Si dogma de Eucharistia tam arduum est, vt nondum ingeniũ humanum potuerit assequi, quur asseuerant quod non intelligunt? quur nos tot onerant conuitijs, qui simpliciter quod ab Ecclesia traditum est amplectimur? His igitur conditionibus nobis offerunt pacem, si pontifices, episcopi, principes & plebeij simul resipiscamus, & quicquid ab istis factum est, aut futurum, fateamur esse merũ Euangelion. Id ni fiat, dira minitantur.

Petunt vt simus vno sacro contenti, sed absq; christo, contrà q̃ tot seculis credidit Ecclesia. Cæterùm Erasmus scripsit nullũ reperiri locũ in scriptis diuinis vnde certò constet apostolos consecrasse panem & vinum in carnem & sanguinem Domini. Quid tum postea? Num igitur non consecrarunt? Sed nec vllus est locus vnde con-

De Eucharistia.

ſtet eos nō conſecraſſe. At finge Apoſtolos nunquā cōſecraſſe, quod dictu abſurdū eſt, quum audierint à Dño, Hoc quotieſcunq; feceritis in memoriā mei facietis. Et Paulꝰ: Hoc accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Nec dubitandum ſit, quin & ipſi fecerint, & alijs faciendum tradiderint: Num ideo vanum eſt quod Chriſtus inſtituit, eccleſia tenuit? Sed iſtis perſuaderi non poteſt, hunc eſſe germanū ſenſum ſcripturæ. Vnde igitur conſtat illis nō eſſe ibi corpus Domini? Negant patres hoc ſenſiſſe, quod nos interpretamur: ad id quid reſpondeam niſi manifeſtum eſſe mendacium, quū tot ſint loca in priſcorū libris, quibus euidentiſsimè declarant quid ſentiant. Sed Eraſmus dixit ſe poſſe in Oecolampadij ſententiam pedibus ire, niſi impediretur tanto orbis conſenſu. Dixi fateor, ſed quid hoc eſt aliud quàm profiteri me cum Eccleſia ſentire catholica, quam voco ſcripturarum interpretem, & quod iſti docent hæreticum videri? Quidā hoc adiecerant, mihi videri meliorem Oecolampadij ſententiam, ni obſtaret Eccleſiæ conſenſus. Hoc falſo falſius eſt: dixi in priuato duntaxat colloquio, eam eſſe ſimpliciorē & expeditiorē, hoc eſt, paucioribus

Eccleſia eſt ſcripturarū interpres.

quæ-

quæstionũ difficultatibus inuolutã, si meliorem iudicarẽ, eam profiterer. Plurimorum, inquit, cõsensus interdum maximus est error. Sed multò frequentiùs paucorũ consensus maximus est error. Si iste non credit Ecclesię, facit quòd solent hæretici: si nouã quærit Ecclesiam, facit quod solẽt schismatici. Fatetur Christum haberi & edi à fidelibus, nec quicquã vult addi, quũ ipsi addant non substãtialiter, sed spiritualiter. Si illi clamant in Eucharistia est corpus Domini, sed in signo tantùm, non in substantia, nosq́; profiteamur corpus Domini, nihil addẽtes, quid aliud efficiet nostrum silentium, quàm vt illis videamur assentiri? Nec pudet istum denuò Christianismum qui fuit hactenus in Ecclesia, cõferre cum impia superstitione ethnicorũ, imaginem crucifixi cum imagine Veneris, nostros diuos cũ dæmonibus, somnia Platonicorũ de prima causa, & logo, cum firmatissima fide Christianorũ, de patre, filio & spiritu sancto. Ait gentes non coluisse idola pro dijs. Ne loquar de vulgo, ipse Plato docet statuas scitè factas animari à dæmonibus. Si gentes non coluerunt simulachra pro dijs, mẽtitus est Paulus, qui scribit gentes coluisse creaturam pro crea-

tore:

tore: Insigniter delirat Esaias cap. 44. Si quid huiusmodi fuisset à me scriptũ, quàm atrociter impingeret blasphemię crimen? Hæc eò toties inculcat, vt persuadeat, hoc quod agunt non esse minoris facilitatis quàm quod egerunt Apostoli: ac gentes Iudæosq; nõ minus probabiliter potuisse tueri suam religionem reiecto Euangelio, quàm nos tuemur Ecclesiæ Catholicæ ritus ac dogmata. Hoc non minus impium quàm absurdũ vt illis donem⁹ fateamurq; paria, quæ nihil habent simile, quum ipsi fateantur initiò opus fuisse miraculis, meritò requiremus & ab istis miracula. Si nobis tot ecclesias obijciant pro miraculis, responderi poterit olim Arrianos plures habuisse ecclesias quàm Orthodoxos, & Mahumeticã sectã latiùs patere q̃ Christianã religionẽ, quanq̃ isti si cũ orthodoxis conferãtur, quota portio est orbis Christiani? Si martyres suos nobis obijciunt, constantiores sunt in sua persuasione Iudęi. Porrò nihil est facilius q̃ apud hoĩes fingere spiritus testimoniũ. Vt ex illis multi sint vita innocẽtes, certè nullius adhuc videmus tã insignẽ sanctimoniam, vt miraculorũ loco possint esse mores apostolici. Mihi indignatur quòd attigerim ipsorum, vt ait,

Ecclesias, innocuas & nihil nisi Christum quærentes, quum ipsi non vereantur totius orbis Ecclesias, Ecclesiæ primates, vniuersumq́; gregem Christi, idololatriæ & blasphemiæ scriptis omnibus insimulare. Sed iamdudum me tædet huius scriptoris gloriosæ loquacitatis, nihil nouāt, vt ait, nisi quod officiebat pietati, nullā dare volunt seditioni causam, sed oīa fieri omnibus, quatenus licet incolumi ipsorum doctrina, quam certo certiùs sciunt Christo probari. Parati sunt propter Euangeliū omnia perdere, modò ne Christus ipsis auferatur. Studēt prodesse omnibus, lædere neminē: Aguntur spiritu Dei, vnde nō possunt recedere. Quid multis? Illos post Euāgelicū agonē manet æternę vitę prēmiū, nos ni resipiscamus exitium atrocius supplicio Sodomorum, nos, inquā, qui occidimus innocuos verbi ministros, qui totis viribus repugnamus Euangelicæ veritati, qui spiritui sancto pertinaciter resistimus, qui colimus idola, qui blasphemi sumus in christū, qui perperā interpretamur canonicam scripturā, qui prorsus ignorātes Christū, Satanam colimus, tales enim facit omnes, qui à dogmatibus ipsorū dissentiūt, in me sic debacchatur nihil aliud crepans,

crepans, quàm luculenta Erasmi mẽdacia, cõtumelias & iniurias in Christũ, quòd in quorundã Euangelicorũ mores ausus sim hiscere. Et nõ videt ista tam atrocia crimina, in Cæsarẽ, in tot orbis Christiani principes, in tot ciuitates Christũ religiose ꝓfitentes, in tot Ecclesias, in tam latè patentem Christi gregẽ recidere? Atqui seuerior aliquis diceret in Conciliabulis hereticorum, nec esse Christũ, nec Christi spiritũ, nec sacras literas, nec pietatem, nec veniæ spem. Sunt qui hæc de istis & sentiant & scribant, qui principes extimulent ad tale genus hominũ funditus è medio tollendum, quin in eos ista euomunt, quibus in me debacchantur? qui hactenus calamum cohibui, quamlibet à summatibus viris etiam cõuitijs efflagitatus, qui diligentius quàm istos scire expediat hoc ago, vt citra sanguinis effusionem componatur dissidium, adeò, vt censuerim satius esse sectas hoc quo nunc sunt loco sinere, donec vel tẽpus, vel Deus ipse remediũ aliquod adferat, quàm totã Germaniã misceri cedibus. In Eckium, in Episcopum Roffensem, in Iodocum Clithoueum, in Ioannẽ Cochleum elingues sunt, in Erasmum bilẽ omnẽ effundunt, vt appareat priuatũ esse odium

& ebrioli cuiusdã instinctum. Sed hũc stomachũ si conceperunt è scriptis meis, quibus testor mihi nõ probari sectas, quur tã diu dissimularunt? Sed nõdum cõmigrat Argentoratũ ille mirabilis cõcitandæ seditionis, & mox turbatis rebus, aliò profugiendi artifex: ille qui loca ex omnibus epistolis meis ad calumniã idonea enotaret, moxq; fingeret sibi librũ à fratribus clàm ereptum. Qui adeò flagrabat impotenti odio, vt hunc librum è mẽdacijs & cõuitijs non aliter cõtextum, quàm cento cõtexitur ex pannis, non potuerit expectare, sed furtim emisit insulsissima scholia, & interim mihi scribebat blãdas epistolas. Eram dominus ac præceptor, à quo libenter admoneretur, qui sine imagine mei nõ poterat viuere, qui proximis ad me literis etiã consolatus est me, hortans vt læto essem animo, contemnens rabulas loquaces & scribaces: deniq; iam dudũ edita epistola mea, quod me facturum scripseram, in suis ad amanuẽsem meum literis volebat mihi commendari, & interim hæc parabantur, tanta arte mordacia, vt magis lędar laudatus, quàm cõuitijs affectus. Et hi se cum Apostolorum sanctimonia cõferunt, quũ hoc Vulturij factũ propius accedat ad exẽplum

plum Iudę ꝓditoris, quàm Christi. Illa magnifica verba, cum talibus coniuncta moribus quos in multis comperimus, quid aliud esse possunt quàm mera hypocrisis? Sed quid aliud expectemus ab his qui profitentur esse phas Euangelion, hoc est sectam, saltē exterioris Ecclesię iudicio damnatam, fucis ac technis propagare? Quur hic artifex non apposuit nomē suum? Ministri verbi apud Argentoratēses. Omnés ne? Qua fronte igitur tātum laudum congerunt in seipsos? Præclaram verò laudem hic quisquis fuit conciliauit Argentoratensibus, qui tales alant cōcionatores: tum ecclesiastis, qui tam vano, tā calumnioso, tam seditioso libello vel adfuerint, vel fauerint. Equidē optarim illi reip. feliciora, quàm vt nō habeat sapientiores ecclesiastas, q̃ hic est qui scripsit hunc librū. Exciderat vnū mēdacium: Aiunt me mitiorem esse in Lutherum quàm in ipsos, Melanchthonem à me laudatum etiam. Laudaui Melanchthonē ob ingenij candorē & industriā in ꝓuehēdis bonis literis, sed semper exceptis dogmatibus. Is quum plurimum tribuat Luthero, tamen nō est adeò offensus, neque diatriba, neque duobus libris hyperaspistis, vt mihi renunciarit

amicitiã, aut quicquã in me ſcripſerit ama rulentius, cùm iſti ob attactũ vel admonitum veriùs Vulturium tam impotenter in me debacchentur. quàm fuerim mutus in Lutherum, declarant duo libri, quibus illi reſpondeo. Quòd ſi nos pronomen rurſus declarat Argentinenſes, in neminem eccleſiaſtarum adhuc quicquam ſcripſi atrocius. In populum Argentoratẽſem ne verbum quidem vnquam effutiui, vt qui illic neminem norim. In eccleſiaſtas quid effudi conuitiorum? Tantùm indico me nonnihil ſuſpicari de Capitonis vafricie. Cum Hedione leuiter expoſtulo, quòd epiſtolã meam ad ſenatum, nec reddiderit, nec diſsimularit. Othoni nunquã reſpondi. Typographus ille famulo meo negauit ſe eſſe euangelicũ. Et hæ ſunt graues illę cauſę, cur tam querulũ hunc librũ in me euulgarent. Nec dubito, quin magiſtratui perſuaſerint me grauiter læſiſſe famã eius reip. quũ nec in eccleſiaſtas, nec in populũ, nec in magiſtratũ vſquam ſtringã calami cuſpidẽ. Aiunt ſe in hoc incumbere, vt omnibus fiant omnia, parati ſumma cum mãſuetudine & modeſtia reddere cuilibet poſcenti, vitæ doctrinæq; ſuæ rationem. Poterat aliquis hoc credere verum, niſi hic liber

ber tam maledicus, tanta arte ad seditionẽ instructus reclamaret. Manifestę vanitatis est & illud, quòd ait multos hoc summis eniti viribus, vt ipsos extinguant funditus, cùm hactenus tanta lenitate tolerētur à Cæsare, principibus, & episcopis, quibus nō erat difficile sic istos tractare, quemadmodū tractati sunt agricolæ tumultuātes, sed quidā principum lenitate abutuntur, semper ad deteriora proruentes, & hoc vt videt, agentes, vt ipsi principibus sint formidabiles, vtcunq; iactant se omni carnis præsidio destitutos, solo verbo Christiq; præsidio fretos veritatē prædicare. Si Vulturius est, vt hic asseuerat, in ouili Christi, gaudeo: certè in eadē Ecclesia non sumus, nec est, quòd posthac metuat Erasmū hortatorem, posui omnem de illo sollicitudinem. quin & illud illi per me licebit, quoties volet scholijs, ac libellis meum nome in frontispicio præferentibus ludere. Nec mihi tamen, nec vlli mortalium, cui nasus sit vllus, persuasurus est, se hæc animo puro simplicique facere. Si tam excelso animo nunc fert paupertatem euangelicam, benè habet, quanquam pridem non vnis ad me literis de exilio egestateq; sua questus est. Quòd si tantoperè displicent illi

Episcopi, conferat se licebit ad suum principem Carolum Gelriæ ducem, cui notus est, cuiq; scribit tam familiariter.

Deuentum est tandem ad epilogum huius sanctissimi operis. Negant, vt ait, se adferre noua dogmata, sed instaurare vetera: quasi vetera non sint, quæ ad hunc vsque diem ab annis mille quadringentis docuit ac seruauit Ecclesia, magno orbis consensu, aut quasi ipsis constet, quid Apostoli tradiderint suis Ecclesijs. Si ministri verbi nihil addere debent scripturis, cur Paulus ausus est quædam statuere in Ecclesijs, quæ Dominus non docuit? An non illud nouum dogma: hic panis consecratus est corpus Domini, hoc vinum est sanguis Domini? Corpus sub pane est sine sanguine, sanguis sub vino est sine corpore, neutri adest anima? An non nouum est, in Eucharistia nihil est nisi panis & vinum? An non nouum, baptisma nulli necessarium esse? Docent purum & putum euangelion: quódnam? Vt per fidem ab vno Deo, per vnum seruatorem & conciliatorem nostrũ Iesum Christũ omnis & iustitia & salus petatur. Quid his verbis religiosius? At quantum in his latet veneni? Impium est inuocare diuos

aut

aut colere, cùm nihil posint apud Deum. Impiũ est orare sacerdotes vt in sacro precentur Deum pro ipsis. Sola fides iustificat, nec refert cuiusmodi sint hominis opera. nihil opus est operibus satisfactorijs, nam hoc est diffidere Christo, qui pro nobis depẽdit. In purgatorio nulla est satisfactio per cruciatum: inutilis est cõfessio: nã hoc est iustitiam ab homine petere. Hæc omnia latent sub illis religiosissimis verbis. Cæterum quo consilio toties in hoc sermone ꝑtermiserit spiritũ sanctum, non satis intelligo. Vereor ne sub hoc quoque lapide dormiat scorpius, quem nobis pòst iniecturi sint. Nam & hoc profitentur, se initiò quædam dissimulasse, quæ suo tempore pro captu hominum proferunt. Negant se aliò spectare, quàm vt prosint omnibus: hoc si suo nomine propriè scribũt ecclesiastæ Argentoratenses, ἐφέξω: Sin omniũ nomine quos euangelij titulus cõplectit̃, nimis impudens mendaciũ est. Atqui ego in genere sum locutus. Negãt se recessisse ab Ecclesia, quũ sint eiecti & proscripti ab his, quorũ vita talis sit, vt quiduis potiꝰ illos cõprobet esse, quàm Ecclesię consortes. Hoc Cæsari ac Ferdinando defendendum relinquo, qui se putãt Ecclesię

consortes. Quanquã cùm ipsi doceãt, soli Deo cognitum esse quis ad Ecclesiam pertineat, præterquam quod quisq; sibi conscius est: quumq; doceant, nihil ad iustitiã referre qualia sint nostra opera, vnde iudicant illos alienos esse ab Ecclesia? Ex affectu mentis? Hunc solus nouit Deus. Ex factis? Ea qualia sint, nihil refert, modò fides adsit. Aiunt se idem negotium agere quod agebãt apostoli. Id si verum est, nos quotquot ab illis dissentimus, aut Iudæi simus oportet, aut Ethnici idololatræ. Literarũ studia quantũ prouehant nescio, certè grauant illa non mediocri inuidia. Morigerantur omnibus principibus, episcopis & magistratib⁹, quatenus licet illæsa pietate, sed quicquid ab ipsis non traditur probaturve, lædit pietatem. Abhorrent ab omni tumultu & seditione sic, vt non alius magis, verùm si nemo repugnat illorum instituto. Non agnoscunt eos qui sub euangelij titulo seruiunt ventri suo. Quàm multos hic cõmemorare possum, quos multi suspiciunt pro coryphæis, nõ modò agnoscunt. Et quid prodigij, si sunt in hoc numero quì nepotes, ganeones & aleatores amplectuntur, quum sint qui eadem faciant? An nullis artibus instructi, nulla ma-
lorum

lorum fiducia freti,sola in Christum fidu cia nitantur, alijs iudicandum relinquo. Nunc audi dinosin,& illachryma: In tam mites,inquit,ouiculas, in quas fremit armatus mundus,tam diris mendacijs & calumnijs importunis debacchatus est Erasmus,ac veluti classicum cecinerit toti orbi.Quis ita lenis,inquit, quis ingenij tam mitis &boni,qui nõ quàm primùm sumẽda arma putet in eos, qui professi saluificũ Euangelion Iesu Christi, viuant tamẽ ipsi flagitiosissimè,& confundant, inuertant, perdantq́; seditiose omnia, optimis pessimis sufficiant,soluant potestatẽ principũ, plebem in optimos quosq; arment,subinde tumultus excitent, ad arma identidem nullis de causis procurrant,foueant quoq; sceleratissimos,sint in bonos meri Phalarides,omnem religionem aboleant,vt certissimus expectetur paganismus. Ecq enumeret,quot quanq́; immania &importuna in nos crimina ea simul falsissima, quaq́; diritate torsit.Sic ille.Vtrum hęc est vox mansuetissimæ, & omnibus placere cupientis ouiculæ, an lupi potius, eiulatu cæteros lupos ad lanienam prouocantis? Dicas hunc q́squis est rhetoricen didicisse. Sed rhetoribus quidam concedũt mẽtiri,

 mo-

modò in loco,& arte,at idem Euangelico viro turpiſsimū eſt. Eſſe qui ſub Euangelij titulo perditè viuant fatentur ipſi quoq;: quòd perdant ſeditioſe omnia, quòd optimis peſsima ſufficiant, à multis in eos dicitur, à me nihil aliud ſcriptum eſt, q̃ quòd quum vetera nouent, nihil tamen adferāt melius. Quòd ſoluant poteſtatem principum, quanq̃ à me ſcriptum non eſt, tamen multis videbitur ab ipſis veriſsimè dictū, ac pulchrè quadrare in quoſdā, qui procaciſsimè proſcindunt quoslibet orbis monarchas, qui nec pontificē nec Epiſcopos ſuos agnoſcūt, qui nec Cæſarē interim habent pro Cæſare. Ego nihil aliud ſcripſi q̃ mihi videri quoſdam iſtorum moliri democratiam. Quòd plebem arment in optimos quoſque, non ex meis ſcriptis deprōptum eſt, ſed ex ipſorū conſcientia. quòd nullis de cauſis procurrant ad arma, bellè exaggerat, quum ego dixerim friuolis de cauſis: Quòd foueant quoſdam impurè viuentes, perſpicuum eſt, nec ipſi inficiantur: Quòd in bonos ſint meri phalarides, à me nuſquam eſt ſcriptum, ſed faciebat ad dinoſin rhetoricam. Eos omnē abolere religionem à plurimis dicitur, à me nuſquàm eſt dictum. Certiſsimum ex-

pectari

pectari paganiſmum, nuſquam in meis legitur, tantùm dixi me vereri, ne ad hunc modum luxatis & in dubium vocatis omnibus ſuccedat paganiſmus. quantum hic in vna dinoſi mendaciorum, quanta diritas, quantum ſeditionis excitandæ ſtudiũ? Ac toties recinit nobis illud nos, nos, quaſi quicquam horũ ſcripſerimus in Argẽtoratos. Et vbi eſt iſta diritas in ſcriptis meis? Duriùs pene tracto meos, & illi ſilẽt, iſte vociferatur. Mirè verò grauantur gratia & autoritate mea, quum iſti pro ludo habeant conſpuere Eraſmum. Aegrè habet hunc, quòd hoc tempore prodierit epiſtola mea, quo tractatur de perdendis ſectis: non prodiſſet ſi me intactum reliquiſſent. Si fuit intempeſtiua purgatio mea, illi imputetur, qui bis inſperſit lutum. Appellat non ſolùm literarum, verùm etiam omnis rectioris iudicij hoſtes, qui meam epiſtolam curarunt germanicè vertendam. At magiſtratus qui id me diſſuadente curauit, putat ſe hiſce titulis indignum. Belle verò me excuſant, quòd hæc tam dira, tam luculenta mendacia non ex me confinxerim, ſed à vaniſsimis & perditiſsimis delatoribus ſtulta credulitate receperim, quum non

narrem, nisi aut confessa, aut cõperta pleraque ab eius sectæ symmistis delata. Iam proferant vel vnum Euangelicum, qui per me sit periclitatus, quum sint quibus cauerim, quibus fortunulis meis sim opitulatus. Nec tamen vllum hic finem facit iterandi, dira, sæua, cruenta, incredibili crudelitate conficta mendacia. In hominem nihil dicam, neque enim certò noui quis sit, certè liber hic vanissimus est, sycophanticus & seditiosus, nec minus stultus quàm indoctus. Audi mihi furiosum artificem: incessit Erasmus ea quæ in tot iã regionibus & rebus publicis, non per istos scelerosos Euangelij fucos, sed per synceros eius sectatores, piẽtissimos principes, grauissimos senatores, consentiente & id optante ex plebe optimo quoque ad ipsissimum Dei verbum immutata sunt. Taxantur nominatim Tigurum, Basilea, Argentoratum, horumq; Ecclesiastæ, quos nouæ Ecclesiæ patriarchas, & noui Euangelij episcopos vocat. Et hos solos inquit, qui scilicet Christi gloriæ ex animo student, nos hic defendere volumus, &c. Seditiose spiritus, vt paucis respondeam: Si mihi psuasum esset, vos omnes sequi synceritatem Euangelij, iã essem in castris vestris.

ſtris. Id non eſſe, ſat arguit veſtra inter vos diſſenſio. Et ſi perſuaſum haberem, quicquid mutatum eſt, ad ipſiſsimum Dei verbum nouatum eſſe, non poſſem non probare. Atqui quum iſti nuſquam non inceſſant ea quę tot ſeculis recepta ſunt, in quot pientiſsimos principes, in quot graues ſenatores, in quot regiones, in quot ciuitates, in quot hominum millia contumelioſi ſunt? Obijciunt nobis Euãgelion, Chriſtum, Chriſti ſpiritum, ſcripturam, nihil horum Eccleſiæ Catholicæ deeſſe putamus. Sed vbi à me taxatur Tigurum? An quia ſcripſi amico, quàm ſeditioſe Zvuinglius rem gerit Tiguri? Vbi taxo Baſileam? an nominaſſe taxaſſe eſt? Nullam remp. vſq̃ laceſſo, ſed nullam minus quàm Argentinenſem, & tamen ingeruntur ad inuidiam nomina ciuitatum. Iſta ſcribunt qui ſic abhorrent à ſeditione vt nemo magis. Eccleſiaſtas appello nouæ Eccleſiæ patriarchas, & noui Euangelij Epiſcopos, ſed aliquanto ciuilius opinor his, qui eoſdem vocant hæreſiarchas. Nam Epiſcopi vocabulum ipſi ſibi vendicant. An non nouum adferunt Euangelion, qui ſecùs interpretantur quàm hactenus interpretata eſt Eccleſia? Anima ſcripturæ ſententia eſt. Fruſtra

conſen-

consentiunt in verbis, qui sensu dissidet. Nec potest subsistere nouũ, nisi subuerso vetere. Vbi tandem Ecclesiastas reos per- ago læsæ maiestatis? Ita, vt aiunt, scripsi ad Botzemum: Qui se venditant Euangelij titulo sic fermè rem gerunt, vt vel ad ne- quitiam, vel ad opes, vel ad anarchiam, & quicquid libet audendi impunitam licen tiam spectare videantur? Quis non per- spicit hoc in Ecclesiastas non esse tortum, in quos citiùs cadat regni suspicio, quàm anarchiæ? In populum Euangelicum hæc dicta sunt, nec in totum tamen, quum ad- dam fermè: Postremò in pseudoeuange- licos, quos & ipsi detestantur: Id meus ar- guit sermo, qui se venditant Euangelij ti- tulo. Quur offendit synceros Euangelij præcones, nam tales videri volunt, quod in falso nomine Euangelicos dictum est? Quis igitur erat locus querimoniæ de a- trocibus & exitialibus calumnijs in nos, & in nos intentatis? Toties enim illud nos, nos, audire cogor, quum nondum li- queat, quod animantium genus sub illa la teat syllaba? Et vbi est illa temeraria ira, quę mihi sensum humanitatis excussit? Si- bi magis irati videntur, qui principes in se irritant, nec id facere desinunt. Qui nihil

non

non torquet ad calumniam, qui nihil nõ tentat quod faciat ad seditionem, qui toties sine causa repetit luculenta mẽdacia, atroces calumnias, iniurias in Christum, nunc dicit, quum fecerimus id tam simpliciter, tam candidè. Et ne quid omittat homo simplex & cãdidus, profert & illud in medium, quod scripsi ad Oecolampadiũ, optimum erat hoc temporis statu à vobis nec laudari nec vituperari: quod si non queat obtineri, suggillari malim quàm prædicari, præsertim noster. Iam inquit, quum certò sciamus, nos esse Christi, non possumus quenquam solidè laudare, nisi eundem nostrum quoq; faciamus. Cuius sint nescio, quid de illis pronũciatum sit scio. Si hæc offertur conditio, non ambio ab illis solidè laudari. Quòd sibi prædicant esse certum, apud me vehementer ambiguum est. Tandem ipse fatetur, quod toto libro in me exagitat. Cogimur inquit, sæpè non tam demirari quàm deplorare, adeò parum euangelici vigoris relucere in vita, quũ datũ sit nosse tam multa nõ infeliciter. Atqui hoc ipsum est quod ego queror, paucos respondere titulo Euangelij. Sic celebrat suam ciuitatẽ, in qua scribit ac viuit, quò spectet magistratuum

ani-

animus, nouit Dominus. De his nunquam quicquam pronunciaui. Perquàm festiuũ illi videtur quòd veniam precatur, quòd mihi non tribuit magnificos titulos, sed tantùm appellat Erasmum, sæpe maiusculis, subinde & Theologũ contumeliæ causa nominans. Sed quur omisit illos splendidos titulos? Non conueniebat inquit, vt cui asscribamus tot luculenta mendacia, tot iniurias in Christũ, eidem tribuamus honorificos titulos. Quantum otij fuit huic nugoni tam friuola garrienti? Postremò excusat infantiam suam, meamq; prædicat eloquentiam inimitabilẽ. Quid habebat eloquentiæ extemporalis epistola? Verùm quum hic nihil omissum sit artificij, tamen ita de se prædicat, sed visum est domino nostra vt reliqua, ita & in hac parte humilia esse & crucem referre, &, nostra sola veritate & afflatu spiritus nituntur. Id si verum credi volunt, alios libellos emittant oportet. Excusans volumen prolixius, non satis inquit, perpenderamus Erasmi epistolam esse tam fœcundam criminum. Imò nondum araneus ille suppeditarat venenum, ex epistolis meis vndiq; collectũ, cuius emblemata quædam agnosco, atq; is nĩ fallor, codicẽ vnde collegit,

mea